DE ORACULIS QUID VETERES PHILOSOPHI IUDICAVERINT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

AB ACADEMIA ROSTOCHIENSI PRAEMIO ORNATA QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

TRADIDIT

FRIDERICUS JAEGER
MONACENSIS.

TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMX.

DE DISSERTATIONE PROBANDA RETTULIT AD ORDINEM PHILOSOPHORUM
IOANNES GEFFCKEN, PROF. ORD.

EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST DIE XII. MENS. NOVEMBR. MCMIX.

IOANNI GEFFCKEN

SACRUM

In pervestigando, quemadmodum antiqui philosophi[1]) iudicaverint de oraculis, qua institutione haud scio an nulla alia ad vitam publicam privatamque veterum plus valuerit, subinde fieri non poterit, quin de universa quoque divinatione eiusque generibus quid philosophi senserint respiciamus. Nam constat in libris *περὶ μαντικῆς* compositis illos etiam de effatis Apollineis egisse. Sed quamvis arte oracula cum divinatione cohaereant, tamen magna opus est cautione, ne audaciores parumque stabilitas coniecturas inde faciamus; etenim prave obliviscamur oracula fuisse instituta publica ac paterna religione sancta: vulgares autem sententias ne philosophi quidem semper detrectare potuerunt.

Religionis philosophia quae vocatur Graecorum orditur ab H o m e r o; quamobrem eas quae in illius carminibus de oraculis reperiuntur opiniones non licet plane silentio praeterire.[2]) Commemoratur autem oraculum et Dodonaeum *ξ* 327 sqq. (= *τ* 296 sqq.): *τὸν* (sc. Ulixem) *δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο | ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ, | ὅππως νοστήσῃ Ἰθάκης ἐς πίονα δῆμον* . . . et Pythicum *θ* 79 sqq. (cf. I 404 sq.): *ὣς γάρ οἱ* (sc. Agamemnoni) *χρείων μυθήσατο Φοῖβος Ἀπόλλων | Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, ὅθ' ὑπέρβη λάινον οὐδὸν | χρησόμενος.* Denique suspicatur Fridericus Naegelsbach (*l. l.* p. 191) ad quodvis oraculum referendum esse hunc quoque locum *π* 402 sq.: *ἀλλὰ πρῶτα θεῶν εἰρώμεθα βουλάς. | εἰ μέν κ' αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο θέμιστες* . . . Videmus igitur illis priscis temporibus, quamquam oracula in vita publica

---

[1]) Dissertatione ad umbilicum adducta fors mihi obtulit: J. Urwalek *Delphi und sein Verhältnis zur griech. Philosophie* (progr. Stockerau 1878), quo tamen libello nostra opera omnino non ad irritum redigitur; cf. censuram Gitlbaueri Zeitschr. f. d. österr. Gymn. XXX (1879) p. 228 sq.

[2]) cf. Naegelsbach *Homerische Theologie* ^{2}1861 p. 190 sqq., Rohde *Psyche* II^{4} p. 56 sq., O. Gruppe *Griech. Myth. u. Rel.-Gesch.* (Hdb. d. kl. Alt.-Wiss. V 2) II p. 986.

nullius fere momenti erant[1]), tamen de veritate eorum ne minimam quidem dubitationem motam esse — id quod haud difficulter explicari potest: nam poetae Ionicorum carminum epicorum non modo vaticiniis fidem non abrogant,[2]) sed superstitione constricti etiam somnia, auguria, tonitrus aliaque prodigia[3]) mortalibus a deis mitti persuasum habent. Itaque non mirabimur, quod homines aetatis Homericae oracula ut instituta opinione populari comprobata magni fecerunt.

Septimo et sexto a. Chr. n. saeculo Delphorum auctoritas coloniis conditis praeclarum cepit incrementum: tum Graeci philosophari i. e. de ultimis causis omnium rerum accuratius meditari coeperunt maxime in quaestionibus ad materialia principia pertinentibus versati; quo fit, ut illis temporibus sparsa tantum de oraculis testimonia enitescant.

Ac primum quidem fortasse quispiam putaverit hic nobis diligenter respiciendas esse eas narrationes, quae illud septem sapientium collegium, quippe cui Thales quoque princeps philosophorum Ionicorum adscribatur,[4]) cum Apolline Delphico coniunctissimum fingant.[5]) At dubium non esse potest, quin

---

[1]) Unicum huiusmodi exemplum suppeditant versus modo laudati (*ϑ* 79 sqq.), ubi Agamemno narratur, priusquam in Troiam profectus esset, oraculum Delphicum consuluisse: conferas quomodo Strabo IX 3, 2 p. 417 Apollodori ut videtur vestigia secutus illa verba enarret.

[2]) Primus vaticinationes addubitasse videtur Hesiodus frg. 169 Rzach (ed. mai. 1902): *Μάντις δ' οὔ νύ τις ἐστιν ἐπιχϑονίων ἀνϑρώπων, | ὅς τις ἂν εἰδείη Ζηνὸς νόον αἰγιόχοιο.*

[3]) Pauca excerpam e magno numero exemplorum: *B* 22, *Ψ* 65 sqq., *δ* 796; *M* 243 (*εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσϑαι περὶ πάτρης*), *N* 821 sq., *β* 158 sq.; *Λ* 53 sq., *Π* 459; *ρ* 541 sq. Origo somniorum expressim ad deos revocatur *A* 63: *καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν* et *ξ* 495: *ϑεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλϑεν ὄνειρος.*

[4]) Septem sapientes primus commemorat Plato *Protag.* cap. 28 p. 343 ab; de varia compositione illius collegii cf. Kroehnert *Canonesne poetarum scriptorum artificum per antiquitatem fuerunt?* diss. Regimont. 1897 p. 64.

[5]) Huc quadraret praecipue illa multifariam tradita narratiuncula de migratione praemii viro sapientissimo oblati, quod ab omnibus repudiatum postremo Apollini Delphico vel Didymaeo dedicatum esse dicitur: nonnulla testimonia collegit Zeller *Philos. d. Griech.* I 1 [5]

hae narrationes in maiorem numinis gloriam excogitatae et per annos magis magisque amplificatae sint;[1]) quia igitur eiusmod commentis non multum veri inesse apparet, valde cavendum est, ne istis fabellis nimium confisi de opinionibus illorum virorum ad oracula spectantibus certum feramus iudicium. Hoc unum vero affirmes: posteriores Graeci in talibus narratiunculis videntur omnino non offendisse.

Pythagorae non solum ab ipso nascendi initio naturalem quandam coniunctionem cum Apollineis oraculis intercessisse,[2]) sed complura quoque moralium dogmatum a Themistoclea, sacerdote Delphica, tradita esse[3]) memorant. Verum has relationes subtilius perscrutati olfacimus quasi lucernam veterum doctorum,[4]) nedum ut inde, quod Pythagoras vel Apollinis filius

---

p. 110 adn. 3, quibus addas Val. Max. IV 1 ext. 7 et Porph. *Hist. philos.* frg. IV (p. 6, 7 sqq. ed. Nauck[2] 1886). De septem sapientibus cum Apolline Delphico coniunctis atque de praemio illis dato fusius disputavit Mikolajczak *De sept. sap. fabulis quaest. sel.* Bresl. philol. Abh. IX 1 (1902) p. 33 sq. et p. 46 sqq.

[1]) Omnem historiae fidem abrogat illis narrationibus Zeller *l. l.* p. 110 sq.

[2]) Iambl. *de vit. Pyth.* XXXII 222 (p. 155, 22 sq. ed. Nauck 1884): *δι᾽ αὐτῶν τῶν χρησμῶν τοῦ Ἀπόλλωνος, οἷς ἦν αὐτοφυῶς συνηρτημένος ἀπὸ τῆς ἐξ ἀρχῆς γενέσεως.*

[3]) Aristox. apud Diog. Laert. VIII 1, 8. 21 et Porph. *vith. Pyth.* cap. 41, quibus de locis Zeller *l. l.*. p. 313 adn. 2 ita loquitur: *Ob diesem Zug der Pythagorassage, der in dieser Gestalt unmöglich geschichtlich sein kann, irgend eine Erinnerung an eine . . . Verbindung des Pythagoras mit Delphi zu Grunde liegt, oder ob es lediglich eine Erdichtung zur Verherrlichung des Philosophen, im Sinn der pythagoreischen Apolloverehrung ist, läßt sich nicht ausmachen.*

[4]) Quod illustretur hoc exemplo: Iamblichus refert *l. l.* XXX 177 (cf. *ibid.* XXVII 133) Pythagoram homini, qui caedem commisisset, convenire se volenti respondisse *τῷ μὲν αὐτόχειρι . . . οὐ θεμιστεύειν.* Nimirum antea Sybaritis, qui occiso citharoedo legatum Delphos miserant oraculi consulendi gratia, responsum erat: *οὔ σε θεμιστεύσω· Μουσῶν θεράποντα κατέκτας* (Ael. *Var. hist.* III 43). Ac simile effatum etiam Calondae, qui Archilochum percusserat, ab Apolline olim redditum esse complures testantur scriptores: vide Koetschau ad Orig. *contr. Cels.* III 25 (vol. I p. 221, 18).

nuncupatur,[1]) quicquam lucrari possimus. Neoplatonici enim, quibus potissimum illae futtiles narrationes debentur, in omni historia parum curiosi mysticisque arcanis dediti libros suos puerilibus fabulis referserunt adeo, ut rerum Pythagoricarum notitia tandem ad inventa superstitionibus theurgicis obruta deflueret. Aliud autem testimonium plus valebit. Mnesimachi[2]) comoediam, quae teste Diogene Laert. VIII 1, 37 *Ἀλκμαίων* inscripta erat, non ad fabularem Alcmaeonem, sed ad illum Pythagoreum Crotoniensem spectasse haudquaquam incredibile videbitur ipsum quod Diogenes laudat fragmentum perlegenti[3]): *ὡς Πυθαγοριστὶ θύομεν τῷ Λοξίᾳ | ἔμψυχον οὐδὲν ἐσθίοντες παντελῶς.* Hinc iure ratiocinaberis Samium philosophum eiusque asseclas Apollini si non hostias immolasse,[4]) at tamen incruenta sacrificia obtulisse ideoque ne responsa quidem dei omnino potuisse aspernari. Tali suspicioni favet etiam ratio, quam Pythagorei in universa divinatione taxanda secuti sunt. Nam scholae antistitem plurimis vaticinandi generibus, quae ad daemonas revocavisse perhibetur, religiose patrocinatum esse omnes consentiunt testes.[5]) — Quaecumque igitur prolata sunt quamvis singillatim perpensa infirmiora videantur, consociata tamen invicem se sustentant. Atque ut dicam quod sentio, Pythagorei oraculis nonnihil concesserunt.

---

[1]) Quae Epimenides, Eudoxus, Xenocrates de Apolline Pythagorae patre fabulati erant (cf. Zeller I 1 [5] p. 311 adn. 2), refellit Iamblichus *l. l.* II 7, sed illorum opinione repudiata idem e suo penu addit *ibid.* II 8 (p. 10, 13 sqq. N.): *τὸ μέντοι τὴν Πυθαγόρου ψυχὴν ἀπὸ τῆς Ἀπόλλωνος ἡγεμονίας οὖσαν εἴτε συνοπαδὸν εἴτε καὶ ἄλλως οἰκειότερον ἔτι πρὸς τὸν θεὸν τοῦτον συντεταγμένην καταπέμφθαι εἰς ἀνθρώπους, οὐδεὶς ἂν ἀμφισβητήσειε* . . . Veteres etiam nomen Pythagorae a deo Pythico duxisse consentaneum est (cf. Aristipp. apud Diog. Laert. VIII 1, 21; aliter Iambl. *l. l.* II 7 p. 10, 8 sq. N.). Ceterum Platonem quoque Apolline natum esse nonnulli commenti sunt: cf. Usener *Das Weihnachtsfest* (1889) p. 70 sq.

[2]) De aetate huius poetae agit Meineke *Hist. crit. comic. Gr.* p. 423.

[3]) *CAF* II 1 p. 436 Kock (= *Fragm. d. Vorsokr.* I [2] p. 292 Diels).

[4]) cf. Zeller *l. l.* p. 317 adn. 4.

[5]) Testimonia congessit Zeller *l. l.* p. 322 adn. 3 (sed cf. infra p. 59): e. g. Diog. Laert. VIII 1, 20 aut Iambl. *l. l.* XXVIII 149.

De Xenophane, Eleaticorum quasi praecursore, quem accepimus multorum deorum cultum vulgarem acerrime impugnasse,[1]) Cicero in illo conspectu, ubi placita de divinatione philosophorum Graecorum breviter recensuit (*de divin.* I 3, 5),[2]) expressis verbis ait: *Colophonius Xenophanes unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit.*[3]) Idemque scriptum est in Aëtii *Plac.* V 1, 2 (*Doxogr. Gr.* p. 415, 17 sq. D.): *Ξενοφάνης καὶ Ἐπίκουρος ἀναιροῦσι τὴν μαντικήν.* Concludes ergo Xenophanem oracula quoque aversatum esse; sed equidem hanc controversiam, quoniam illis testimoniis tam exilibus aliunde nulla lux affulget, non ita diiudicare audeo, ut omnis evanescat scrupulus.

Heraclitus autem, etsi non raro in ritus caerimoniasque religionis popularis invehitur (cf. frg. 5 et 128 Diels), tamen non censet eam prorsus tollendam esse. Cum enim commune ducat regulam iudiciumque veri,[4]) non gravatur divinationem late pervulgatam agnoscere eamque in commercio humani et divini animi positam esse existimat.[5]) Ita fit, ut Heraclitus ne oraculorum quidem veritatem in dubium vocet, quamquam consentaneum est obscuritatem responsorum dei eum non fugere frg. 93 D.: *ὁ ἄναξ, οὗ τὸ μαντεῖόν ἐστι τὸ ἐν Δελφοῖς, οὔτε λέγει οὔτε κρύπτει ἀλλὰ σημαίνει.*[6]) Idem porro Heraclitus primus

---

[1]) cf. frg. 1, 21 sqq.; 11; 12; 14—16 *Poet. philos. fragm.* ed. Diels.

[2]) Originem huius eclogae aperuit Diels *Doxogr. Gr.* p. 224 sq.

[3]) Sic codices: *unum qui deum esse diceret* coniecit Hartfelder *Die Quellen von Ciceros zwei Büchern de divin.* progr. Frib. Brisg. 1878 p. 5 adn. 1, quae coniectura argumentatione Freudenthali *Über die Theologie des Xenophanes* (1886) p. 11 non evertitur.

[4]) Sext. Empir. *adv. math.* VII 131 (p. 219, 19 sqq. Bekk.): *τὸν κοινὸν λόγον ... κριτήριον ἀληθείας φησὶν ὁ Ἡράκλειτος. ὅθεν τὸ μὲν κοινῇ πᾶσι φαινόμενον, τοῦτ' εἶναι πιστόν.*

[5]) Chalcidius *in Plat. Tim.* cap. 251 (p. 284, 10 sqq. ed. Wrobel 1876): *Heraclitus vero consentientibus Stoicis rationem nostram cum divina ratione conectit regente ac moderante mundana ... Idemque adserit divinationis usum et praemoneri meritos instruentibus divinis potestatibus.* Haec verba non adeo colore Stoico fucata esse, ut a genuina doctrina Heracliti plane abhorreant, affirmat Zeller I 2^5 p. 727 adn. 5.

[6]) Spectaverunt hunc locum et Iamblichus *epist. ad Dexipp.* ap. Stob. *ecl.* II 2, 5 (vol. II p. 18, 21 sqq. Wachsm.) et Ps.-Iamblichus *de myst. Aeg.* III 15 (p. 136, 1 sqq. ed. Parthey 1857). Illud ab

mentionem inicit Sibyllae, cuius naturam comparat cum Pythiae mente furibunda frg. 92 D.: *Σίβυλλα δὲ μαινομένῳ στόματι . . . ἀγέλαστα καὶ ἀκαλλώπιστα καὶ ἀμύριστα φθεγγομένη χιλίων ἐτῶν ἐξικνεῖται τῇ φωνῇ διὰ τὸν θεόν.*[1]) Has sententias quo philosophus voluerit relatas, meo quidem iudicio Theodorus Gomperz[2]) recte exponit cum dicat: *Er* (sc. Heraclitus) *sieht den Tadel vorher, welcher die orakelhafte Form und den düsteren Inhalt seines Werkes treffen wird; aber er begegnet ihm durch den Hinweis auf die ruhmreichsten Vorbilder.*[3])

De Democrito duplex est memoria. Philosophum enim Abderitam, quem Cicero (*de divin.* I 3, 5) gravem auctorem appellat, locis haud paucis praesensionem rerum futurarum comprobasse primo obtutu miraberis; nam illi exploratum erat universum mundum ex atomis constantem nulla providentia regi omniaque naturalibus effici causis. Sed divinationem ut doctrinae suae accomodaret, sumebat hominibus simulacra quaedam appropinquare, quae non modo somniorum species excitarent, sed insuper significarent futura.[4]) Nonne igitur verisimile videtur Democritum, praesertim cum multis in rebus vulgi opinionibus cederet,[5]) de oraculis quoque perinde iudica-

Heraclito dictum breviter et rhetorice nominat Lobeck, qui in *Aglaoph.* tom. II p. 841 sqq. de obscuritate oraculorum agit.

[1]) Clemens Alexandrinus, quem e Plutarcho (*de Pyth. orac.* cap. 6 p. 397 a) hausisse Rohde *Psyche* II⁴ p. 69 adn. 1 contendit, laudata verba respexit *Strom.* I 70, 3 (vol. II p. 44, 12 sq. Staehlin): *Ἡράκλειτος γὰρ οὐκ ἀνθρωπίνως φησίν, ἀλλὰ σὺν θεῷ ⟨τὸ⟩ μέλλον Σιβύλλῃ πεφάνθαι* (sic Mayore auctore St. scripsit pro *μᾶλλον* codicis Laur.); praeterea cf. Ps.-Iambl. *l. l.* III 8 (p. 117, 7 sqq. P.).

[2]) *Griech. Denker* I² p. 51.

[3]) Haec interpretatio confirmatur loco Lucianeo *vit. auct.* cap. 14: *ΑΓΟΡΑΣΤΗΣ. Τί δαὶ οἱ θεοί; ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΣ. Ἄνθρωποι ἀθάνατοι. ΑΓΟ. Αἰνίγματα λέγεις, ὦ οὗτος, ἢ γρίφους συντίθης; ἀτεχνῶς γὰρ ὥσπερ ὁ Λοξίας οὐδὲν ἀποσαφεῖς.*

[4]) cf. imprimis Plut. *Quaest. conv.* VIII 10, 2 p. 735 a sqq. (= *Fragm. d. Vorsokr.* I² p. 365 sq. D.), quem locum exscribere longum est. Illa simulacra (*εἴδωλα*) Democritea nihil aliud esse nisi daemonas vulgares Zeller I 2⁵ p. 939 putavit, quam tamen sententiam impugnat Ric. Heinze *Xenokrates* (1892) p. 89.

[5]) Zeller *l. l.* p. 939 sq.

visse ac de universa divinatione? At res postulat, ut diligentius excutiatur. Nam testatur Origenes *contr. Cels.* VIII 45 (vol. II p. 260, 16 sq. Koetschau) illis *ἀναπλάσμασι μυθικοῖς,* quae Celsus de oraculis proferat, praeter Peripateticos atque Epicureos sectam Democriti fidem derogare. Quomodo autem hic nodus expediendus est? Origenes etiam alibi[1]) Democriteos cum discipulis Aristotelis et Epicuri componit; his locis accurate perpensis cogitatio animum subit ab Origene nonnulla Epicurea temere translata esse in eum philosophum, cuius fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit (Cic. *de nat. deor.* I 43, 120).[2]) Adde quod Origenes altero loco, quo in Celsi de oraculis opinionem copiose incursat (*l. l.* VII 3 vol. II p. 154, 26 sqq. K.), ad Aristotelem et Epicurum provocat, non item ad Democritum. Ut igitur paucis summam faciam, mihi persuasi Origenis testimonium nullius momenti esse atque optimo iure a nobis reici, etiamsi sane demonstrare nequeamus a Democrito oracula esse accepta.[3])

Hactenus haec de philosophis qui ante Socratem fuerunt; sed priusquam transeamus ad illum, qui primus philosophiam devocavit e caelo et in urbibus collocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere (Cic. *Tusc. disp.* V 4, 10), nobis indagandum est, quid sub finem quinti a. Chr. n. saeculi de oraculis cogitaverint nonnulli homines, qui etsi in philosophis numerari non solent, tamen hic appellandi atque audiendi sunt: imprimis Protagoram et Euripidem dico.

---

[1]) cf. *l. l.* I 43 (vol. I p. 93, 11 K.) et VII 66 (vol. II p. 215, 20 sq.).

[2]) Haec explicandi ratio ut citra omnem dubitationem ponatur, iam alterum sequatur exemplum Luc. *Alex.* cap. 17: *ὥστε πάνυ τὸ μηχάνημα ἐδεῖτο Δημοκρίτου τινὸς ἢ καὶ αὐτοῦ Ἐπικούρου ἢ Μητροδώρου ἤ τινος ἄλλου ἀδαμαντίνην πρὸς ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα τὴν γνώμην ἔχοντος.* Democritus ergo postea cum Epicureis eodem loco habebatur.

[3]) Nescio enim, quare Hiller de Gaertringen apud Pauly-Wissowa IV 2 col. 2561 s. v. *Delphoi.* haec scribat: *Nach den sog. Sieben Weisen war es namentlich Demokrit, welcher in sehr würdiger Weise des Orakels gedachte.* Nempe vidimus testimoniis antiquis certam ansam tale iudicium ferendi non praeberi; quocirca illud suspicor esse merum calami mendum, quod ita facillime corrigi potest, ut loco Democriti ponamus nomen Heracliti.

Quod autem ad Abderitam sophistam attinet, Ludovicus Radermacher luculenter coniecit [1]) illum locum, ubi Herodotus [2]) in eos incurreret qui veritatem oraculorum addubitarent VIII 77: *Χρησμοῖσι δὲ οὐκ ἔχω ἀντιλέγειν ὡς οὐκ εἰσὶ ἀληθέες, οὐ βουλόμενος ἐναργέως λέγοντας πειρᾶσθαι καταβάλλειν . . . ἐς τοιαῦτα μὲν καὶ οὕτω ἐναργέως λέγοντι Βάκιδι ἀντιλογίης χρησμῶν πέρι οὔτε αὐτὸς λέγειν τολμέω οὔτε παρ᾽ ἄλλων ἐνδέκομαι,* referendum esse ad Protagorae librum cui tituli erant *Καταβάλλοντες* (sc. *λόγοι*) sive *Ἀλήθεια* sive *Ἀντιλογίαι.* [3]) Si illud a Radermachero recte demonstratum est — nec video quis audeat contra dicere, [4]) sententiarum connexu, unde Herodoti verba deprompta sunt, certissimum nobis praebetur adminiculum colli-

---

[1]) Mus. Rhen. LIII (1898) p. 501 sq.

[2]) Herodoti de oraculis opinionem quominus limatius perquiramus, re nobis proposita impedimur; tamen brevis declinatio nobis facienda est. Herodotus enim posterioribus philosophis plurima oracula suppeditavit, ut etiam hac in re valeant verba Geffckeni *Zwei griech. Apologeten* (1907) p. 188 adn. 3: *Die Philosophie benutzt den Herodot gern.* Quid autem rerum scriptor de oraculis cogitavit? Guilelmus Schmid affirmat (Christ *Gesch. d. griech. Litt.* I ^{5} p. 448 adn. 2) Herodotum et venalem Pythiae parum reverenter diffamavisse (IV 150, V 63. 66, VI 123) et Athenienses valde laudasse, quod sortibus perterriti non essent (VII 139 sq. 143); sed quisquis hos locos sobrie perpendet, ei opinor Schmid mentem Herodoti perperam interpretari videbitur: ac quomodo, si ille recte diceret, intellegenda essent ea quae supra citabimus verba (VIII 77)? Immo Herodotus responsa Pythiae non respuit. Thucydidem sane oraculis nihil fere tribuisse delicate exposuit Gomperz *Griech. Denker* I ^{2} p. 405 sq., cuius sententiam equidem amplector contra Naegelsbachium *Nachhom. Theologie* p. 183 (cf. etiam Christ-Schmid *l. l.* I ^{5} p. 460 adn. 1).

[3]) Sext. Empir. *adv. math.* VII 60 (p. 202, 24 sqq. Bekk.): *φησὶ* (sc. Protagoras) *πάσας τὰς φαντασίας καὶ τὰς δόξας ἀληθεῖς ὑπάρχειν καὶ τῶν πρός τι εἶναι τὴν ἀλήθειαν διὰ τὸ πᾶν φανὲν ἢ δόξαν τινὶ εὐθέως πρὸς ἐκεῖνον ὑπάρχειν. ἐναρχόμενος γοῦν τῶν καταβαλλόντων ἀνεφώνησε* . . . De illo opere Protagorae praeclare commentatus est Jacobus Bernays Mus. Rhen. VII (1850) p. 464 sqq. (= Ges. Abh. I p. 117 sqq.).

[4]) Radermacheri coniecturam probavit G. Nestle *Euripides d. Dichter d. griech. Aufklärung* (1901) p. 442 adn. 66 extr.; ne Schmid quidem obloquitur *l. l.* I ^{5} p. 603 adn. 2.

gendi Protagoram in isto opere, quo deos omniaque divina negavit (cf. Radermacher *l. l.* p. 502), oracula funditus aversatum esse. Non insulse ergo suspicabimur ne ceteros quidem sophistas longe discessisse a tramite, quem Protagoras instituerat.

Optime vero cogitationes illius aetatis, quae sophistarum disputationibus quasi inaugurata erat, discemus e fabulis Euripidis, qui placitis priorum philosophorum curiose examinatis novam atque suam protulit doctrinam.[1]) Itaque natura ingeniumque huius poetae philosophi non rectius adumbrari potest quam verbis Albrechti Dieterich, qui *l. l.* col. 1279 haec scribit: *Euripides selbst ist in gewissem Sinne der bedeutendste Sophist, der am allermeisten dazu beigetragen hat, die Anschauung der neuen Zeit zu verbreiten und die alte Weltanschauung zu vernichten.* Quodsi nunc Euripideam de oraculis opinionem elicere et paucis exponere conabimur, oblivisci non licet nobis rem esse cum poeta scaenico, qui ne tum quidem, cum proprias sibi sententias proferre vult, suo loquitur nomine, sed semper alius personae ministerio utitur; quare magna adhibenda est cura, ut in diversis personarum orationibus ipsius poetae mentem animumque deprehendamus.[2])

Euripides ut modo summam potestatem ac iustitiam a deis popularibus repetit, modo levitatem et infirmitatem eis obicit, ita de divinatione oraculisque in utramque partem disputat.[3])

---

[1]) Quantopere fabulae huius poetae scateant praeceptis ad philosophiam pertinentibus, recentiore aetate, postquam ne Zeller quidem Euripidem philosophum recte aestimavit, ostenderunt Udalricus de Wilamowitz *Anal. Eurip.* p. 163 sq. et *Herakles* vol. I¹ (= *Einl. i. d. griech. Trag.*) p. 22 sqq. atque ut alios omittam praecipue Guilelmus Nestle *Untersuch. über d. philos. Quellen d. Eurip.* Philol. suppl. VIII (1900) p. 557 sqq. et *Eurip. d. Dichter d. griech. Aufklärung,* quem tamen librum quamvis materia undique congesta excellentem ut cautissime inspicias iure monet Dieterich apud Pauly-Wissowa VI 1 col. 1277. Denique apud Henricum Schmidt *Veteres philosophi quomodo iudicaverint de precibus* (diss. Kil. 1907 = Religionsgesch. Vers. u. Vorarb. IV 1) p. 4 nonnulla huc spectantia invenies.

[2]) Berlage *Commentatio de Euripide philosopho* (Lugduni Bat. 1888) p. 3 sq. Ceterum Nestle in hunc potissimum errorem delapsus est.

[3]) cf. Nestle *Eur. d. Dicht. d. griech. Aufkl.* p. 108—115 (de *Ione*

Velut in *Supplicibus* inter ea bona, quae pertineant ad condicionem vitae humanae melius conformandam, varia divinandi genera referuntur (vss. 211 sqq.). Atque in eadem tragoedia Theseus praedicat calamitatem Adrasti in eo positam esse, quod ille vaticinia neglexerit vs. 159: *οὕτω τὸ θεῖον ῥᾳδίως ἀπεστράφης*; Quid, quod Orestes in patriam reversus Apollinis responsa, quibus *βροτῶν μαντικὴν* opponit, ab opprobrio vanitatis tuetur *Electr.* vss. 399 sq.: *Λοξίου γὰρ ἔμπεδοι | χρησμοί, βροτῶν δὲ μαντικὴν χαίρειν ἐῶ.* Sed omnes huiusmodi voces videntur nil ponderis habere, quia rarissime divinationis veritas disertis verbis defenditur aut demonstratur. Huc accedit quod Euripides interdum vel populi vel certae factionis iudicium a semet ipso alienum pronuntiat: sic explicantur laudes vaticinandi, quas supra in *Supplicibus* fabula invenimus.[1]) Quid autem poeta de oraculis proprie senserit, apparebit, si audiverimus et alteram partem.

Itaque ut taceam de contumeliosissima acerbitate, qua Euripides identidem *μάντεις* eorumque vaticinia persequitur,[2]) Apollinis quoque oracula ab eo in suspicionem adducuntur. In *Andromacha* quidem fabula nuntius, qui narrat Neoptolemum in fano Delphico occisum esse, deum reprehendit, quod illud factum admiserit, atque eatenus procedit, ut omnem sapientiam ab eo abroget (*ib.* vss. 1161 sqq.). Consimiliter Orestes in deum Pythicum incursat his verbis: *ὦ Φοῖβε, ποῖ μ᾽ αὖ τήνδ᾽ ἐς ἄρκυν ἤγαγες | χρήσας …* (*Iphig. Taur.* vss. 77 sq.) et mortem obiturus exclamat (*ibid.* vss. 711 sqq.):

ἡμᾶς δ᾽ ὁ Φοῖβος μάντις ὢν ἐψεύσατο·
τέχνην δὲ θέμενος ὡς προσώταθ᾽ Ἑλλάδος

---

vide p. 73 sq.) et Radermacher *Eur. und die Mantik* Mus. Rhen. LIII (1898) p. 497—510: quos duces imprimis sequor.

[1]) Radermacher *l. l.* p. 505 sqq.; sane ex altera parte contumeliae in vates dictae eodem modo explanari possunt: e. g. vide *Hel.* vss. 744 sqq. (Radermacher *l. l.* p. 497 sq.).

[2]) cf. *Iphig. Aul.* vss. 956 sqq.: *τίς δὲ μάντις ἔστ᾽ ἀνήρ, | ὃς ὀλίγ᾽ ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει τυχών· ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται;* *ibid.* vss. 520 sqq. *ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ: τὸ μαντικὸν πᾶν σπέρμα φιλότιμον κακόν. ΜΕΝΕΛΑΟΣ: κοὐδὲν γ᾽ ἀρεστὸν οὐδὲ χρήσιμον παρόν* atque alibi.

ἀπήλασ' αἰδοῖ τῶν πάρος μαντευμάτων.
ᾧ πάντ' ἐγὼ δοὺς τἀμὰ καὶ πεισθεὶς λόγοις
μητέρα κατακτὰς αὐτὸς ἀνταπόλλυμαι.

Et postremo cum Pylades amico persuadere studeat, ne periculo quamvis instante spem salutis deponat, Orestes tale solacium ita respuit: *σίγα· τὰ Φοίβου δ' οὐδὲν ὠφελεῖ μ' ἔπη* (*ibid.* vs. 723). At, inquies, nonne hae voces satis excusantur praesenti condicione fortunae, qua usus Orestes secus iudicare non potuit, atque — id quod caput est — nonne elucet eventu tragoediae deum eiusque oraculum ab omnibus calumniis liberari et purgari? Haec esse refutanda intelleges, si *Ionem* fabulam diligentius respexeris: etenim in ista tragoedia Creusa eiusque filius, postquam vaticinia Apollinis acerrimis conviciis consectati sunt, ad extremum omnia rite revocant, cui palinodiae etiam Minerva clementer annuit (*ib.* vss. 1606—1615). Itaque si quis illum fabulae exitum iudicio parum subacto contemplabitur neque in intimam medullam argumenti penetrabit, ei persuasum erit Euripidem hic patrocinium deorum et oraculorum suscepisse. Verum facile ostenditur[1]) illi tragoediae inesse complures sententias adeo inter se pugnantes, ut nullo modo compensari aut tolli possint. Maxima enim dissensio in eo cernenda est, quod hinc oraculum Delphicum affirmat Ionem esse filium Xuthi (vss. 531 sqq.), illinc cum in Mercuri prologo, quem sane spurium esse nonnulli contendunt, tum in extrema fabula Ion a Minerva filius Apollinis nominatur: quare poetam suae ipsius fidei obtrectare consentaneum est. Genuinam igitur opinionem Euripidis potius illi aperient loci, ubi Ion eiusque mater Apollini turpitudinem ac fallaciam crimini dant,[2]) neque dubitamus Guilelmo Nestle adstipulari, qui summam subducit his verbis *l. l.* p. 74: *Der kleinere,*

---

[1]) Dilucide hoc demonstravit Verrall *Euripides the rationalist, a study in the history of art and religion* (Cantabrigiae 1895) p. 131 sqq.

[2]) cf. vss. 252 sqq.; vss. 369 sqq. (ubi Ion negat Apollinem umquam patefacturum esse quod ipsi dedecori sit, aut homines sciscitari debere quod ille velatum velit); praecipue autem huc pertinent vss. 436 sqq., quo loco haud scio an nusquam — ut Lucianum missum faciamus — in religionem Graecorum vehementius incursatum sit (Nestle *l. l.* p. 128 sq.); porro cf. vss. 877 sqq. et vs. 960.

tieferblickende Teil der Gebildeten wird auch hier den Euripides wohl verstanden haben, der in seinem Drama den Apollo und sein Orakel tatsächlich ad absurdum führte und nur den Schluß seiner Folgerungen dem Patriotismus und religiösen Gefühl seiner Zuschauer opferte.[1]) Nam apertum est eum poetam, qui ut discipulus Anaxagorae Aristophanisque[2]) aequalis totam historiam fabularem tam parvi faceret, oraculis nullam vim aut veritatem assignare potuisse.

Socrates quid de oraculis senserit, exponere instituentes opus aggredimur periculosae aleae plenum; fundamenta enim, quibus iudicium nostrum inniti debet, opera recentiorum everti coepta sunt. Robertus quidem Poehlmann[3]) arbitratus Platonem in Apologia commenticiam magistri speciem informasse[4]) nuper sententiam defendit Socratem originem philosophandi sui prave duxisse a responso Pythiae (*l. l.* p. 89); atque etiam coniecit

---

[1]) Etiam in aliis fabulis poeta hanc viam ingressus est: Dieterich *l. l.* col. 1272 sq. Itaque mentem Euripidis falso interpretatus est Wecklein, qui ad *Iphig. Taur.* (Lips.[3] 1904) vss. 77 sq. haec adnotavit: *Oft läßt Euripides seine Personen ungläubige und mißgünstige Meinungen über Orakelsprüche oder Anordnungen der Götter aussprechen, um durch den Verlauf der Handlung die kurzsichtigen Urteile der Menschen über die Wege der Gottheit zu kennzeichnen.*

[2]) Anaxagoras quid de divinatione statuerit, apparet ex illa narratiuncula, quam tradidit Plutarchus *vit. Pericl.* cap. 6 (cf. infra p. 64 adn. 1); ab Aristophane oracula ceteraque eiusmodi instituta maledico dente carpta esse vel pueri clamant.

[3]) *Sokratische Studien* (Sitz.-Ber. d. phil.-hist. Kl. d. Bayer. Ak. d. Wiss. 1906 fasc. II p. 49—142): in priore parte sagacissime examinantur illae Socratis imagines, quas Ed. Meyer *Gesch. d. Alt.* IV p. 435 sqq., Schwartz *Charakterköpfe aus d. antiken Lit.* I (1903) p. 47 sqq. aliique delineaverunt. Utique autem velim conferas censuram de commentatione Poehlmanniana a Lortzingio (Berl. philol. Wochenschr. 1908 col. 645 sqq.) scriptam, cui multis in rebus non assentiri non possum.

[4]) *l. l.* p. 77 sq.: *Hier hat das, was man sehr treffend die apollinische Verklärungskraft Platos genannt hat, die Gestalt des schwärmerisch geliebten Lehrers, des wahrhaft «dämonischen und wunderbaren Mannes» in eine Sphäre erhoben, in der uns das Bild der menschlich individuellen Persönlichkeit des Sokrates überhaupt zu verschwinden droht.* Similiter iudicat Gomperz *Griech. Denker* II p. 84.

oraculum ipsum esse fictum (*ibid.* p. 90 sq.). Genuinum enim Socratem nec fabulis antiquis nec divinationi ullam habuisse fidem, sed statuisse soli rationi humanae omnia esse tribuenda: sic argumentatur Poehlmann. Infitiari non possumus complures discrepantias testimoniorum veterum ab eo detectas esse; tamen quaeri oportet, quo iure contenderit religionem ad animum Socratis nihil valuisse. Nonne certa nobis praesto sunt documenta eius rei, quod parens philosophiae (Cic. de fin. II 1, 1) vulgares de diis opiniones ita non cavillatus est, ut in forma caerimoniarum cultusque retinenda perseveraret? [1]) Huc accedit alterum: vocabula quae Socrates imponit daemonio suo [2]) non figurate intellegenda sunt, qua interpretatione utitur Poehlmann (*l. l.* p. 123 sqq.), immo huic tamquam insito oraculo aliquid divini inest; Socrates enim ipse daemonium appellat *τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον* (Plat. *Apol.* cap. 31 p. 40 b). [3]) Ab hoc numine admoneri solebat, ut desisteret

---

[1]) *Νόμῳ πόλεως* deis grates agendas esse Apollo Pythius dixerat: *νόμος δὲ δήπου,* inquit Socrates apud Xenoph. *Mem.* IV 3, 16, *πανταχοῦ ἐστι κατὰ δύναμιν ἱεροῖς θεοὺς ἀρέσκεσθαι. πῶς οὖν ἄν τις κάλλιον καὶ εὐσεβέστερον τιμῴη θεοὺς ἤ, ὡς αὐτοὶ κελεύουσιν, οὕτω ποιῶν;* Deinde idem Xenophon testatur (*ibid.* I 1, 2) Socratem non solum in publicis altaribus, sed etiam domi frequenter sacra fecisse; apud Platonem (*Phaedon.* cap. 66 p. 118 a) moriens philosophus iubet Critonem Aesculapio gallum gallinaceum immolare.

[2]) Dies me deficiat si commentationum silvam, quas daemonium Socraticum suscitavit, enumerare instituam: *de Socratis daemonio quae antiquis temporibus fuerint opiniones,* rimatur Willing Comment. philol. Jenens. VIII 2 (1909) p. 127 sqq.; etiam christiani scriptores de illa re in diversas partes disputaverunt, id quod exposuit J. Geffcken *Sokrates und das alte Christentum* (1908): cf. imprimis adnotationes p. 40 sqq. Libri recentiorum, qui versati sunt in ista quaestione, apud Ueberweg-Praechter *Grundr. d. Gesch. d. Philos.* I [10] (1909) p. 43* recensentur. Denique ratio habenda est eorum, quae explicavit Joël *Der echte und der xenophontische Sokrates* I p. 70—89: Das *δαιμόνιον* und die Mantik.

[3]) Verbis *δαιμόνιον* et *θεός* promiscue utitur Socrates etiam apud Xenoph. *Mem.* IV 8, 5 sq.: *ὦ Ἑρμόγενες, ἤδη μου ἐπιχειροῦντος φροντίσαι τῆς πρὸς τοὺς δικαστὰς ἀπολογίας ἠναντιώθη τὸ δαιμόνιον. καὶ αὐτὸς* (sc. Hermogenes) *εἰπεῖν· θαυμαστὰ λέγεις. τὸν δὲ* (sc. Socratem)*· θαυμάζεις, φάναι, εἰ τῷ θεῷ δοκεῖ βέλτιον εἶναι ἐμὲ τελευτᾶν τὸν βίον ἤδη;*

ab agendo, quando id quod agere volebat non prospere fuerat eventurum; ita fit, ut daemonium cum auguriis ceterisque divinandi generibus aequetur.[1]) Nec mirum est, quod Socrates ipse hanc interiorem vocem a deis repetivit: etenim quamvis cum Xenophon tum Plato pietatem magistri in maius extollerent, deos esse Socrates omnino non negabat, cuius auspiciis potius nova et honestior existimatio deorum et precationum coepta est pervulgari. Itaque si religio ad ingenium mentemque philosophi maioris quam pro Poehlmanni opinione momenti erat, mea quidem sententia non est, cur putemus ea, quae Socrates in Platonis Apologia de oraculo Chaerephonti edito narrat, contra Socraticam rationem sentiendi pugnare.[2])

His generatim disceptatis iam singula enucleatius persequamur. Socrati exploratum erat non solum instrumento daemonii sui, sed etiam somniis publicisque oraculis voluntatem divinam sibi indicari (Plat. *Apol.* cap. 22 p. 33 c): *ἐμοὶ δὲ τοῦτο . . . προστέτακται ὑπὸ τοῦ θεοῦ πράττειν καὶ ἐκ μαντείων καὶ ἐξ ἐνυπνίων καὶ παντὶ τρόπῳ, ᾧπέρ τίς ποτε καὶ ἄλλη θεία μοῖρα ἀνθρώπῳ καὶ ὁτιοῦν προσέταξε πράττειν.* Quocirca praeceptum Pythiae secutus monentis, ut in rebus ad cultum spectantibus *νόμος πόλεως* servaretur, deos venerari consueverat (Xenoph. *Mem.* I 3, 1) eodemque studio impulsus, postquam ab Apolline sapientissimus omnium

---

[1]) Sane a Xenophonte solo e. g. *Mem.* I 1, 2 sqq. Quod enim Zeller *l. l.* p. 83 adn. 4 praedicat Platonem idem fecisse, loci ab eo allati (*Apol.* cap. 31 p. 40 a, *Phaedr.* cap. 20 p. 242 c, *Euthyphr.* cap. 2 p. 3 b) mihi videntur nil ponderis habere. Cur autem Xenophontis testimonium temere refutabis?

[2]) Ut mihi probentur quae ad illud de Socrate oraculum adnotat Gomperz *Griech. Denker* II p. 85: *Hier muß zweierlei streng geschieden werden: der delphische Spruch selbst und seine Bedeutung für die Laufbahn des Sokrates. An der historischen Wahrheit des ersteren haftet unseres Erachtens nicht der leiseste Zweifel.* Simile discrimen facit Hirzel *Der Dialog* I p. 75 sqq. At effatum Pythiae a Socratico quodam confictum esse contendunt et Joël *l. l.* II 2 p. 773 sqq. et Poehlmann, qui Joëlium secutus ad fabellas de certamine septem sapientium traditas delegat *l. l.* p. 90. — In varias formas illius oraculi inquisivit H. R. Pomtow *De oraculis quae exstant Graecis trimetro iambico compositis* diss. Berol. 1881 p. 16 sq.

hominum nuncupatus est, non pepercit labori expiscandi, quid deus proprie vellet: *ἐκ ταυτησὶ δὴ τῆς ἐξετάσεως, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι,* ait Socrates (Plat. *Apol.* cap. 9 p. 22 e sq.), *πολλαὶ μὲν ἀπέχθειαί μοι γεγόνασι καὶ οἷαι χαλεπώταται καὶ βαρύταται, ὥστε πολλὰς διαβολὰς ἀπ' αὐτῶν γεγονέναι . . . ὅμως δὲ ἀναγκαῖον ἐδόκει εἶναι τὸ τοῦ θεοῦ περὶ πλείστου ποιεῖσθαι* (*ibid.* cap. 7 p. 21 e). Huius dei effata philosophus Atheniensis putat singulare specimen providentiae divinae esse: *ᾗ ἀδυνατοῦμεν,* inquit ille Euthydemo (Xenoph. *Mem.* IV 3, 12 Gilbert), *τὰ συμφέροντα προνοεῖσθαι ὑπὲρ τῶν μελλόντων, ταύτῃ αὐτοὺς* (sc. *τοὺς θεούς*) *ἡμῖν συνεργεῖν, διὰ μαντικῆς τοῖς πυνθανομένοις φράζοντας τὰ ἀποβησόμενα καὶ διδάσκοντας ᾗ ἂν ἄριστα γίγνοιτο;* Tali modo hominibus quae suis viribus cognoscere aut scire nequeunt beneficio deorum aperiuntur. Quare Socrati persuasum est eum, qui oracula respuat, perinde furere atque illum, qui opera divinationis ea exploret, quae ut discernantur ab hominibus dei permiserint (Xenoph. *l. l.* I 1, 9).

Socrates autem cum ipse pro certo haberet[1]) oracula esse divina ac vera, non praetermisit, quin discipulos quoque suos adhortaretur, ut in ambiguis rebus fanum Apollinis Pythici adirent. Xenophon quidem narrat (*Exped. Cyr.* III 1, 5 sqq.) cum litteris Cyri acceptis magistrum interrogavisset quid faceret, eum sibi suasisse, ut Delphos proficisceretur. Quo cum advenisset, Xenophon Apollinem sciscitatus est, cui deorum sacra faceret, quem comprecaretur, ut iter quod mente agitaret quam pulcherrime perficeret rebusque praeclare gestis incolumis rediret. Respondit ei Apollo illis sacrificaret deis, quibus deberetur. Athenas reversus Xenophon oraculum Socrati aperuit. Qui cum illud audivisset, eum ideo reprehendit, quod non interrogasset, utrum praestaret iter suscipere an domi mánere, sed postquam ipse statuisset eundum esse, e deo quaesivisset, quemadmodum optime proficisceretur: *ἐπεὶ μέντοι οὕτως ἤρου,* inquit Socrates, *ταῦτα χρὴ ποιεῖν ὅσα ὁ θεὸς ἐκέλευσεν.* — Cur autem haec tam fuse exposuimus? Idcirco quod ista narratio firmissimam suppeditat ansam contro-

---

[1]) Testimonium quamvis levisculum in calce huius disputationis sequatur: *ἡ δὲ Πυθοῖ ἐν τῷ τρίποδι ἱέρεια,* ait Socrates apud Xenoph. *Apol.* 12, *οὐ καὶ αὐτὴ φωνῇ τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ διαγγέλλει;*

versiae disceptandae. Nam licet Xenophon praecipue in eis Memorabilium partibus, quas altercatione dialogi inclusit, magistro supponeret nonnulla commenta, illam tam simplicem narrationem mendatiunculis ineptis aspergere non potuit; an verisimile esse videtur Xenophontem historiae fidem consulto depravavisse? Denique non est, quare sumamus Socratem discipulo suo quicquam suasisse, quod ipse non credidit. Ergo ut in pauca conferam verba: Socrates oracula haud dubie probavit.

Xenophon philosophica incude parum formatus erat; nihilominus de eo ut discipulo Socratico auctoreque illorum *Ἀπομνημονευμάτων* breviter agendum est. Is qua erat superstitiosa religione patrocinium universae divinationis susceperat.[1]) Itaque in libris Xenophonteis non modo prodigia et ostenta sescenties commemorantur, sed etiam Apollinis eiusque oraculorum identidem mentio fit.[2]) Deinde constat eum, priusquam invitationem Cyri secutus esset, Socrate hortante Pythiam consuluisse. Multis autem laboribus superatis cum Graeci Trapezunta advenissent, imperator donarium Apollini conficiendum curavit, quod in Delphico thesauro Atheniensium reposuit (*Exped. Cyr.* V 3, 5). Aliud vero exemplum (*ibid.* VI 1, 19 sqq.) planius ostendet, quanti responsa dei fecerit Xenophon. In hunc cum milites Graeciae appropinquantes imperium totius exercitus denuo delaturi essent, ille dubitans quidnam faceret duas immolavit hostias Iovi Regi, quem iussu oraculi Pythici solebat de rebus futuris consulere;[3]) sed postquam funesta evenerunt omina, Xenophon nullis precibus commotus est, ut imperio accipiendo voluntatem divinam violaret. In octavo autem capite eius libri, qui *Λακεδαιμονίων πολιτεία* inscribitur,[4]) Lycurgus narratur oboedientiam magistra-

---

[1]) cf. Joël *l. l.* I p. 81—89.

[2]) Vide e. g. *Hist. Graec.* IV 7, 2; VI 4, 7; VII 1, 27.

[3]) *l. l.* VI 1, 22: *δύο ἱερεῖα ἐθύετο τῷ Διὶ τῷ βασιλεῖ, ὅσπερ αὐτῷ μαντευτὸς ἦν ἐκ Δελφῶν.* Ab eodem deo existimat profectum esse illud somnium *ὃ εἶδεν ὅτε ἤρχετο ἐπὶ τὸ συνεπιμελεῖσθαι τῆς στρατιᾶς καθίστασθαι.*

[4]) Hunc libellum a Xenophonte scriptum esse optime defendit U. Koehler (Sitz.-Ber. d. Preuß. Ak. d. Wiss. 1896 p. 361 sqq.), qui putat Xenophontem Platonis Republica esse adductum, ut illam *Λακεδαιμονίων πολιτείαν* componeret.

tibus legibusque praestandam cum aliis rebus impressisse Lacedaemoniis, tum auctoritate Apollinis Delphici; haec Xenophon tali exponit modo (*l. l.* VIII 5): ἐν τοῖς καλλίστοις (sc. τῶν μηχανημάτων καλῶν τῷ Λυκούργῳ εἰς τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις ἐθέλειν τοὺς πολίτας) καὶ τοῦτό μοι δοκεῖ εἶναι ὅτι οὐ πρότερον ἀπέδωκε τῷ πλήθει τοὺς νόμους πρὶν ἐλθὼν σὺν τοῖς κρατίστοις εἰς Δελφοὺς ἐπήρετο τὸν θεόν... Quodsi scriptor ibidem affirmat Lycurgo persuasum fuisse, qui legibus oraculo Pythiae comprobatis non obtemperavissent, eos contra numina non minus quam contra leges facturos esse, mihi dubium non videtur, quin Xenophon illa verba e suo penu addiderit.

Id maiorem probabilitatem spero assecuturum esse, si respexeris hunc locum (*Inst. Cyr.* VII 2, 17): Croesus a Cyro interrogatus fatetur se posthabita cura Apollinem de iis rebus consulendi, quae sibi opus essent, veritatem eius periclitatum esse. Tum pergit: τοῦτο δὲ.. μὴ ὅτι θεός, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωποι καλοὶ κἀγαθοί, ἐπειδὰν γνῶσιν ἀπιστούμενοι, οὐ φιλοῦσι τοὺς ἀπιστοῦντας. Croesus igitur non dubitat, quin iniqua et obscura oracula ob eam rem acceperit, quod deum expertus esset. Verisimile autem est Xenophontem hic suam ipsius sententiam Croeso substituisse; nam illud ignorat Herodotus (cf. I 90), unde Xenophonteam narrationem fluxisse patet.

De scholis Soraticis quae vocantur multa proferri non possunt. Cynici et de religione vulgi et de divinatione aliter sentiebant ac Socrates[1]) a quo profecti erant. Diogenes quidem traditur dixisse, cum intueretur somniorum interpretes, vates eosque qui his animum adverterent, tum nihil se stultius existimare homine (Diog. Laert. VI 2, 24). Et quicumque Cynicorum rationem cogitandi primoribus labris gustaverit, is opinor ultro concedet Diogenes oracula valde insectatos esse.[2]) Stil-

---

[1]) Zeller II 1[4] p. 328 sq.

[2]) Quocum congruunt quae Dio Prus. Diogeni attribuit *orat.* X 23 sqq., imprimis 28 (vol. I p. 113 sq. Arnim): cf. Helm *Lucian und Menipp* (1906) p. 125. Non repugnat quod Diogenes ab imperatore Juliano (*orat.* VI p. 192 d) habetur studiosissimus Apollinis Pythici famulus et administer. Quodsi Eusebius *Praep. ev.* IV 2, 13 p. 136 b et

ponem quoque Megaricum, qui Cratete rogante, an dei sacrificiis et precationibus gauderent, negavit licere de eiusmodi rebus in via loqui (Diog. Laert. II 11, 117), effata Apollinis in risum vertisse haud absurde coniciemus.

Platonis philosophiam constat religione quasi imbutam esse. Ille ut ritus publicos deosque populares, quorum cultum a maioribus acceperat, verecunde retinuit, sic etiam oracula in disciplinam suam assumpsit, minus ut communibus sententiis se accomodaret, quam idcirco quod ipsi causa Apollinis cordi erat. Hoc apparebit, si consideraveris, quantam auctoritatem arbitratus oracula Delphicum et Dodonaeum de universa Graecia optime merita esse[1]) Plato illis tribuerit et in Republica et in Legibus. *Οὔτ' ἂν καινὴν* (sc. *πόλιν*) *ἐξ ἀρχῆς τις ποιῇ οὔτ' ἂν παλαιὰν διεφθαρμένην ἐπισκευάζηται*, inquit *Leg.* V 9 p. 738 b, *περὶ θεῶν γε καὶ ἱερῶν, ἅττα τε ἐν τῇ πόλει ἑκάστοις ἱδρῦσθαι δεῖ καὶ ὥντινων ἐπονομάζεσθαι θεῶν ἢ δαιμόνων, οὐδεὶς ἐπιχειρήσει κινεῖν νοῦν ἔχων ὅσα ἐκ Δελφῶν ἢ Δωδώνης ἢ παρ' Ἄμμωνος*[2]) *⟨ἔπεισαν⟩*. Atque de eadem re philosophus iam uberius egerat illo loco *Reipubl.* (IV 5 p. 427 b), ubi Apollini Pythio instituenda prudenter relinquit quae pertineant ad religionem cultumque deorum velut *ἱερῶν τε ἱδρύσεις καὶ θυσίαι καὶ ἄλλαι θεῶν τε καὶ δαιμόνων καὶ ἡρώων θεραπεῖαι, τελευτησάντων τε αὖ θῆκαι καὶ ὅσα τοῖς ἐκεῖ*

IV 3, 14 p. 139 b in adversariis oraculorum etiam Cynicos numerat, magis Oenomaum respicere videtur quam priorum Cynicorum sectam.

[1]) Socratem enim Plato *Phaedr.* cap. 22 p. 244 a b ita loquentem inducit: *ἥ τε γὰρ δὴ ἐν Δελφοῖς προφῆτις αἵ τ' ἐν Δωδώνῃ ἱέρειαι μανεῖσαι μὲν πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ τὴν Ἑλλάδα εἰργάσαντο, σωφρονοῦσαι δὲ βραχέα ἢ οὐδέν· καὶ ἐὰν δὴ λέγωμεν Σίβυλλάν τε καὶ ἄλλους ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθέῳ πολλὰ δὴ πολλοῖς προλέγοντες εἰς τὸ μέλλον ὤρθωσαν, μηκύνοιμεν ἂν δῆλα παντὶ λέγοντες.* In his *μαντικῇ χρωμένοις ἐνθέῳ* numerandi sunt etiam *οἱ χρησμῳδοί τε καὶ οἱ θεομάντεις*: *Apol.* cap. 7 p. 22 c, *Menon.* cap. 41 p. 99 c, *Ion.* cap. 5 p. 534 c d.

[2]) Tria haec oracula non raro inter se coniuncta nominantur; e. g. conferas Aristoph. *Av.* vs. 716, ubi chorus avium de se dicit: *ἐσμὲν δ' ὑμῖν Ἄμμων, Δελφοί, Δωδώνη, Φοῖβος Ἀπόλλων.* Porro cf. Cic. *de divin.* I 1, 3 et Max. Tyr. *diss.* XIV 1; ab aliis alia oracula componuntur.

δεῖ ὑπηρετοῦντας ἵλεως αὐτοὺς ἔχειν. Mortuis vero custodibus civitatis monumenta et sacra tamquam daemonibus si Pythia confirmaverit dedicentur, sin aliter saltem ut beatis ac divinis (*ibid.* VII 18 p. 540 c). Item opera oraculi Delphici dies festi constituendi (*Leg.* VIII 1 p. 828 a) et religionum interpretes creandi sunt, id quod fieri oportet maxima cum diligentia (*ibid.* VII 7 p. 759 c sqq.).[1]

Plato igitur postulat, ut leges ad ritum spectantes Delphis petantur; sed in aliis quoque rebus oraculum Apollinis adeundum est. Ac primum quidem insolitam legem a philosopho scriptam proferamus: in optima enim civitate fratribus et sororibus concubitus permittetur, si sors dederit et praeterea oraculum Pythiae suaserit (*Reipubl.* V 9 p. 461 e).[2] Porro si quis thesaurum alicubi effossum sibi protenus vindicaturus sit, re ad magistratus delata oraculum Delphicum consulatur, quid faciendum sit tam de pecunia quam de illo qui eam moverit (*Leg.* XI 1 p. 914 a).[3] Deinde philosophus sancit ut, si quis in certaminibus publicis amicum interfecerit vel in bello vel in exercitatione bellica, is secundum legem ab Apolline latam sit purus et insons (*ibid.* IX 8 p. 865 a b).[4] Quid plura? Vides in variis rebus Platonem responsis Delphici dei magnam assignare auctoritatem

---

[1]) Hunc scrupulosum locum enodare studet Const. Ritter *Platos Gesetze, Kommentar* (1896) p. 163 sqq.

[2]) Insolentia legis minuitur eo, quod philosophus iam infantes publice educatos voluit, ut omnia vincula cognationis dissolverentur; cf. interpretationem Ritteri *Platons Staat. Darstellung des Inhalts* (1909) p. 64.

[3]) «*Platon ne craint pas même d' identifier dans une certaine mesure le droit criminel avec la théologie et d' attribuer aux oracles le soin de compléter les lacunes du code pénal*» adnotat ad illam legem Bouché-Leclercq *Histoire de la divination dans l' antiquité* (4 vol. Paris 1879—82) vol. I p. 48. Ceteroquin huius ampli operis respiciendum est imprimis exordium, cuius tertium caput inscribitur «La divination et la philosophie» vol. I p. 29—91.

[4]) Hanc legem ex iure Attico depromptam esse affirmat Stallbaum *Comment. in Platonis Leges et Epinom.* vol. III p. 98; plura suppeditat Schulte *Quomodo Plato in Legibus publica Atheniensium instituta respexerit* diss. Monast. 1907 p. 61 cum adn. 86.

et in Legibus eandem fere opinionem atque in Republica de oraculis habere.

Sane unico tantum loco philosophus germanum oraculum metris inclusum idque dimidiatum[1]) admiscuit dialogis (*Reipubl.* VIII 16 p. 566 c). Num igitur hinc concludendum est Platonem oracula aspernatum esse? Arbitror hoc eo minus licere, quod ibi nulla dubitatio movetur, quamquam illud responsum in obscuris et flexiloquis oportet numerari. Iam novum addamus argumentum, quo confirmatur veritatem oraculorum a Platone in dubium vocatam non esse. Constat eum poetarum libros si non remotos e sua commenticia civitate, at tamen diligentissime selectos voluisse, quia sacrilegis atque impiis narratiunculis referti essent.[2]) Quod ut demonstret, affert illos quoque versus Aeschyleos, quibus Thetis Apollinem vanitatis obiurgat eiusque responsa fallaciae arguit.[3])

Restat, ut mirabilem quandam Platonis opinionem commemoremus, quam multi sunt secuti.[4]) In *Sympos.* cap. 23 p. 202 e — 203 a Socrates loquitur de daemonibus, qui deis preces et sacrificia hominum referant, his rursus nuntient quae dei imperent ac respondeant: *Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον* (sc. *πᾶν τὸ δαιμόνιον*) *θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν, ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ*[5]) *πᾶσα χωρεῖ καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τελετὰς*

---

[1]) Integram sortem invenies apud Herodotum I 55 aliosque: cf. Ric. Hendess *Oracula Graeca* Diss. philol. Hal. vol. IV 1 (1877) n. 97; testimoniis, quae Hendess neglegenter ut usquequaque congessit, adde etiam schol. Plat. vol. VI p. 356 sq. Hermann.

[2]) Quid Plato de poesi senserit, exponit — ut unum auctorem laudem — Finsler *Platon und die aristotel. Poetik* (1900) p. 215 sqq.

[3]) *Reipubl.* II 21 p. 383 b (= *TGF* p. 105 Nauck[2]).

[4]) Testimonia collegerunt Jahn-Usener in editione Symposii[2] 1875 p. 19 sq.

[5]) Nota est illa etymologica adnominatio, qua Plato *μανικὴν* et *μαντικὴν* inter se connexuit *Phaedr.* cap. 22 p. 244 c. Insipientia vaticinantibus supponitur etiam *Tim.* cap. 32 p. 71 e: ceteros locos hic nominandos attulimus supra p. 22 adn. 1 extr.

καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαγγανείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν.[1]) Hic fundamentum totius daemonum disciplinae iactum est; nam etsi Plato geniis ipse non multum tribuit,[2]) tamen illa verba quasi praelusio atque praecursio daemonologiam posteriorem excitaverunt.[3]) At, inquies, quaenam ratio his daemonibus intercedit cum oraculis? Id facile potest cognosci: haud pauci enim scriptores et gentiles et christiani respectu illius loci Platonici docuerunt per genios tamquam ministros divinae voluntatis oracula hominibus mitti.[4]) Quid? fortasse iam Xenocrates, quem accepimus daemonologiam magistri excoluisse cum primus statueret bonos et pravos genios,[5]) originem oraculorum a daemonibus duxit. Nam legimus apud Plutarchum *de fac. in orb. lun.* cap. 30 p. 944 c: *οὐκ ἀεὶ δὲ διατρίβουσιν ἐπ' αὐτῆς* (sc. *τῆς σελήνης*) *οἱ δαίμονες, ἀλλὰ χρηστηρίων δεῦρο κατίασιν ἐπιμελησόμενοι* ... Quoniam vero Xenocratea de compositione lunae sententia paulo ante (cap. 29 p. 943 f — p. 944 a) enarratur, nonne veri est simillimum tricesimi quoque capitis initium a Xenocrate proficisci?[6]) Certiora autem indicia altero loco porriguntur.

---

[1]) Accuratius natura sedesque daemonum distinguitur *Epinom.* cap. 8 p. 984 e, quem dialogum a Platone esse scriptum diserte defenderunt Raeder *Platons philosophische Entwickelung* (1905) p. 413—419 et Reuther *De Epinomide Platonica* diss. Lips. 1907.

[2]) Gravissimus locus exstat *Tim.* cap. 13 p. 40 d, ubi eadem ironia translucet atque in Socratis verbis apud Plat. *Apol.* cap. 15 p. 27 d: *εἰ δ' αὖ οἱ δαίμονες θεῶν παῖδές εἰσι νόθοι τινὲς ἢ ἐκ νυμφῶν ἢ ἔκ τινων ἄλλων* ... cf. Zeller II 1 [4] p. 932.

[3]) Buresch *Klaros. Untersuchungen zum Orakelwesen des späteren Altertums* (1889) p. 55; perinde iudicant Heinze *Xenokrates* p. 91 et Zeller III 2 [4] p. 227 adn. 3.

[4]) Loci huc spectantes suo loco laudabuntur: de Christianis cf. infra p. 83 adn. 1. Simile quiddam invenitur *Epinom.* cap. 8 p. 985 c: *τούτων δὴ τῶν πέντε ὄντως ὄντων ζῴων* (quorum in numero etiam daemones sunt), *ὅπῃ τινὲς ἐνέτυχον ἡμῶν ἢ καθ' ὕπνον ἐν ὀνειροπολίᾳ προστυχόντες ἢ κατὰ φήμας τε καὶ μαντείας λεχθέν τισιν ἐν ἀκοαῖς ὑγιαίνουσιν ἢ καὶ κάμνουσιν* ... quibus de verbis cf. Heinze *l. l.* p. 93 adn. 2.

[5]) Plut. *de Is. et Osir.* cap. 26 p. 361 b (frg. 25 H.). Xenocratis daemonologiam pertractavit Heinze *l. l.* p. 94 sqq.

[6]) Hoc suspicatus est iam Buresch *l. l.* p. 58.

Nonnulli recentiores docti[1]) enim ostenderunt Cleombrotum in capitibus 13—15 Plutarchei *de def. orac.* libelli persequi vestigia Xenocratis, qui ineunte cap. 13 (p. 416 d) nominatim citaretur; itaque mea quidem sententia ad eundem Platonicum referenda sunt etiam illa verba, quibus Cleombrotus primis dictis convenientem finem imponit cap. 15 extr. p. 418 d: *καὶ τετολμήσθω μετὰ πολλοὺς εἰρῆσθαι καὶ ἡμῖν, ὅτι τοῖς περὶ τὰ μαντεῖα καὶ χρηστήρια τεταγμένοις δαιμονίοις ἐκλείπουσί τε κομιδῇ συνεκλείπει τὰ τοιαῦτα, καὶ φυγόντων ἢ μεταστάντων ἀποβάλλει τὴν δύναμιν, εἶτα παρόντων αὐτῶν διὰ χρόνου πολλοῦ καθάπερ ὄργανα φθέγγεται τῶν χρωμένων ἐπιστάντων καὶ παρόντων.*[2])

Aristotelem haud paenituit libris suis et historicis et aliis responsa Pythiae inserere.[3]) Neque vero oblivisci debemus pro mole corporis Aristotelici maxime exiguum esse numerum oraculorum ibi allatorum; porro monendum est — id quod gravissimum mihi videtur — philosophum, cum oraculi alicuius mentionem facit, plerumque ab omni iudicio abstinere. Cuius rei sit testimonio ille locus *Politic.* VII [IV] 16 p. 1335 a 15 sqq., ubi Aristoteles explicat, quibuscumque in civitatibus adulescentes cum puellis adulescentulis matrimonio iungi soleant, homines imperfectis et brevibus corporibus praeditos esse; praeterea adulescentulas et magis laborare in partu et plures interire. His expositis pergit lin. 18 sqq.: *διὸ καὶ τὸν χρησμὸν*[4]) *γενέσθαι τινές φασι διὰ τοιαύτην αἰτίαν τοῖς Τροιζηνίοις, ὡς πολλῶν διαφθειρομένων διὰ τὸ γαμίσκεσθαι τὰς νεωτέρας, ἀλλ' οὐ πρὸς τὴν τῶν καρπῶν κομιδήν.* Videmus igitur Aristotelem, etiamsi illud

---

[1]) Schmertosch *De Plutarchi sententiarum quae ad divinationem spectant origine* diss. Lips. 1889 p. 3—15 et Heinze *l. l.* p. 78 sqq.

[2]) Monearis etiam a Cleombroto illum *Symposii* locum respici *l. l.* cap. 13 p. 416 f.

[3]) Praeter locos protenus nominandos cf. *de republ. Athen.* cap. 19, 2 p. 20, 8 sq. (Kaibel-Wilamowitz[3] 1898); *ibid.* cap. 21, 6 p. 23, 25 et cap. 54, 6 p. 60,5; frg. 4 ex prima parte eiusdem libri sumptum p. 87 K. W. (= schol. Vatic. ad Eurip. *Hipp.* vs. 11); porro cf. *de anim. hist.* III 20 p. 522 a 18 sq., *de art. poet.* cap. 17 p. 1455 b 7 sq., frg. 66 p. 1487 a 14 sqq., frg. 462 p. 1554 a 11 sq., frg. 492 p. 1558 a 30 sqq., frg. 555 p. 1569 b 45 sqq.

[4]) cf. Hendess n. 187.

anceps oraculum recte interpretari conetur, tamen de fide eius nullum ferre iudicium.[1])

Quamquam philosophus Stagirita non semper verba tam caute delegit, immo pauci exstant loci, qui eius genuinam de oraculis sententiam nobis prodent. In quinto quidem capite tertii libri *art. Rhet.* (p. 1407 a 31 sqq.) Aristoteles praeter alia etiam hoc postulat, ne ambiguae adhibeantur voces; circuitionibus enim mentem decipi et audientibus usuvenire quod vulgo inter hariolos, quibus annuat cum ambigua dicant. Tum exempli causa tritum illud ponitur oraculum: *Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.*[2]) Quo allato philosophus disputat hunc in modum (p. 1407 b 1 sqq.): *καὶ διὰ τὸ ὅλως ἔλαττον εἶναι ἁμάρτημα διὰ τῶν γενῶν τοῦ πράγματος λέγουσιν οἱ μάντεις· τύχοι γὰρ ἄν τις μᾶλλον ἐν τοῖς ἀρτιασμοῖς ἄρτια ἢ περισσὰ εἰπὼν μᾶλλον ἢ πόσα ἔχει, καὶ τὸ ὅτι ἔσται ἢ τὸ πότε, διὸ οἱ χρησμολόγοι οὐ προσορίζονται τὸ πότε.* Haec verba etiam ad effata Pythiae revocanda esse ostendit oraculum modo citatum. Similiter iudicat Aristoteles altero loco *art. Rhet.* (II 23 p. 1398 b 32 sqq.). Hinc patet Hegesippum quendam,[3]) cum oraculum Olympiae accepisset, Delphis consuluisse deum, num ipsi eadem quae patri viderentur. Quibus simpliciter narratis auctor sibi temperare nequit, quominus malitiose addat: *ὡς αἰσχρὸν ὂν τἀναντία εἰπεῖν.*[4]) Aristoteles igitur fraudes sacerdotum perspectas habuit.

Sed quomodo cum tali opinione congruit illa lex, qua philosophus sancit (*Politic.* VII [IV] 12 p. 1331 a 24 sqq.), ut templa et publica domicilia eodem loco construantur iis videlicet ex-

---

[1]) Sed nescio an paraphrasis *τινές φασι* indicet dubitationem Aristotelis.

[2]) Hoc loco primum nobis occurrit illud oraculum ab Herodoto (cf. I 53, 75, 91) non verbotenus laudatum, quod videbimus plurimos philosophos in suam rem convertisse: testimonia ab Hendessio n. 96 parum accurate collecta sunt.

[3]) Hegesippi nomen videtur depravatum esse, cum Xenophon (*Hist. Gr.* IV 7, 3) de Agesipolide quodam et Plutarchus (*Reg. et imper. apophth.* 7 p. 191 b) de Agesilao eadem narrent.

[4]) cf. Bouché-Leclercq *l. l.* vol. I p. 56. Interpres anonymus hac paraphrasi utitur (Comment. in Aristot. Gr. XXI 2 p. 138, 20 sq. Rabe): *αἰσχρὸν δὲ ἦν εἰπεῖν τὸν Ἀπόλλωνα τἀναντία τῷ πατρί.*

ceptis, quae edictum quoddam vel oraculum Pythicum voluerit seorsum exaedificata. Sibi non constare Aristotelem haec suadentem coniecerit fortasse quispiam. At equidem puto unicum eiusmodi praeceptum nil ponderis habere; etenim quot locis Plato egit de legibus ope Pythiae sanciendis! Haud scio an discipulis in illa tam leviscula re magistro aliquid concesserit. Deinde quod Aristoteles dixisse traditur (Sext. Emp. *adv. math.* IX 20 sq. p. 395, 9 sqq. Bekk.): *ἀπὸ μὲν τῶν περὶ τὴν ψυχὴν συμβαινόντων διὰ τοὺς ἐν τοῖς ὕπνοις γινομένους ταύτης ἐνθουσιασμοὺς καὶ τὰς μαντείας ⟨γεγονέναι⟩. ὅταν γάρ, φησίν, ἐν τῷ ὑπνοῦν καθ' ἑαυτὴν γένηται ἡ ψυχή, τότε τὴν ἴδιον ἀπολαβοῦσα φύσιν προμαντεύεταί τε καὶ προαγορεύει τὰ μέλλοντα,* haec verba haud dubie non ipse philosophus, sed persona quaedam Aristotelicorum dialogorum protulit.[1]) Quare certum mihi videtur a Stagirita oraculis parvam vel potius nullam adiunctam esse fidem.[2])

Aristoteles, empiricus ille homo doctus, cum semper nexum causarum investigaret, nec religionem nec oracula nisi obiter tetigit. Hoc si respiciemus, non mirabimur unum ex asseclis Aristotelicis aliter sensisse de responsis Pythiae ac principem scholae. Theophrasti enim operis, cui titulus erat *περὶ εὐσεβείας*, magnas partes e commentatione *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων* Porphyriana sagaciter restituit Iacobus Bernays.[3]) Ostendit autem Porphyrium secundo suo libro, quo demonstraturus est pio homini non licere carne vesci, quinque admiscuisse excerpta

---

[1]) Hoc fragmentum dialogo Aristotelico qui Eudemus inscriptus erat tribuit Krische *Forsch. auf d. Gebiete d. alten Philos.* I (1840) p. 17 et 304, quem secuti sunt Rose frg. 12 p. 1475 b 36 sqq. et Zeller II 2^3 p. 551 adn. 4 extr. Aristoteli enim somnia nihil aliud videbantur nisi imagines, quae perpaulum mutatae iam in vigilantium animis fuerunt (*de divin. per somn.* cap. 2 p. 463 b 12 sqq.). Genuinam igitur sententiam Aristotelis recte adumbravit Chalcidius *in Plat. Tim.* cap. 250 (p. 283, 16 sqq. Wr.).

[2]) Quomodo Demosthenes, aequalis Stagiritae philosophi, de Delphis senserit, inde cognoscitur, quod affirmavit Pythiam *φιλιππίζειν*: Aeschin. *contr. Ctesiph.* 130 (p. 232, 11 sq.^{2} Blaß), Cic. *de divin.* II 57, 118 (quem locum sequitur Minucius Felix *Octav.* cap. 26,6), Plut. *vit. Demosth.* cap. 20.

[3]) *Theophrastos' Schrift über Frömmigkeit* (Berol. 1866); cf. H. Schmidt *l. l.* p. 18 sq.

e Theophrasti opere deprompta.[1]) Praecipue tertium excerptum magni est momenti,[2]) quia ad ea pertinet quae Theophrastus de cultu et veneratione deorum cogitavit.

Vilibus quoque victimis deos gaudere ut comprobet, philosophus haec narrat (cap. 15 p. 144, 15 sqq. N.): Thessalo[3]) *ποὺς χρυσόκερως βοῦς καὶ ἑκατόμβας* offerenti responsum esse *μᾶλλον τὸν Ἑρμιονέα κεχαρίσθαι,* qui tantum farinae quantum tribus digitis capere posset obtulisset. Cum autem Hermioneus verbis Pythiae perperam intellectis totum saccum super aram effudisset, sacerdotem dixisse: *ὅτι δὶς τόσον ἀπέχθοιτο τοῦτο δράσας ἢ πρότερον ἦν κεχαρισμένος.* Quid vero docet haec narratiuncula? Apparet inde Theophrastum oracula aspernatum non esse; an credibile est eum, si effata Apollinea respuisset, illud responsum sententiae confirmandae causa allaturum fuisse?[4])

Ceteri autem Peripatetici vestigia Aristotelis secuti sunt. Origenes quidem contendit, quae Celsus de oraculis protulisset, argumentis Aristotelis eiusque discipulorum reicere se potuisse.[5]) Item ab Eusebio[6]) *οἱ ἀπὸ τοῦ Ἀριστοτέλους καὶ πάντες οἱ καθεξῆς τοῦ Περιπάτου* in adversariis oraculorum ponuntur. His autem testimoniis obstare videtur ille locus Tullianus (*de divin.* II 48, 100), secundum quem Dicaearchus et Cratippus Peripatetici censebant esse in mentibus hominum tamquam oraculum aliquod unde

---

[1]) Inter cap. 5, ubi Theophrastus primum laudatur, et cap. 32 plurima Theophrasti esse Porphyrius ipse declarat (cf. p. 135, 4 et p. 162, 17 sqq. ed. Nauck² 1886). Alia sane Neoplatonicus apposuit (cap. 9 p. 139, 20 — cap. 11 p. 141, 21; cap. 16 p. 145, 4 — cap. 19 p. 149, 5; cap. 31 p. 161, 1 — p. 162, 3), alia contraxit.

[2]) cap. 11 p. 141, 21 — cap. 15 p. 145, 3; cap. 19 p. 149, 6 — cap. 20 p. 150, 3.

[3]) Nomen hominis a Theophrasto non commemoratum finxit Ptolemaeus Chennus (apud Phot. *Bibl.* 190 p. 148 b 19 sqq. Bekk.), qui dicit *Λυκίαν τὸν Ἑρμιονέα, οὗ καὶ Θεόφραστος ἐν ἐπιστολαῖς μνημονεύει*: aliter Lobeck *Aglaoph.* II p. 1005.

[4]) Theophrastus in eodem libro (cap. 29 p. 159, 5 sq.) mentionem facit alterius oraculi, quod tamen ad hanc controversiam disceptandam nihil valet.

[5]) *contr. Cels.* VII 3 (vol. II p. 154, 26 sq. K.) et *ibid.* VIII 45 (vol. II p. 260, 16 sq.).

[6]) *Praep. ev.* IV 2, 13 p. 136 a (cf. *ibid.* 3, 14 p. 139 b).

futura praesentirent, si aut furore divino incitatus animus aut somno relaxatus solute moveretur ac libere.[1]) At inter divinationem furentium et oracula hic discernendum esse declarat auctoritas ipsius Dicaearchi. Qui quamquam *τὸ κατ' ἐνθουσιασμὸν ⟨γένος μαντικῆς⟩* probasse traditur,[2]) tamen in eo libro, cui nomen erat *Ἡ εἰς Τροφωνίου κατάβασις*,[3]) oraculum sacerdotesque Trophonii videtur magnopere sugillavisse. Omnium enim suspicionum, quae de illo dialogo pronuntiatae sunt, veri est simillima opinatio Odofredi Muelleri rati[4]) ansam disputandi fraudes dedisse et praestigia, quorum opera sacerdotes Lebadienses vulgus emungere soliti sint. Idemque vir doctus suspicatur (*l. l.* p. 147) contra nostrum Peripateticum scriptum esse illum libellum, quem Plutarchum de oraculo Trophonii — scilicet defendendo — composuisse accepimus (cf. *catalog. Lampriae* n. 181). Hanc coniecturam puto maiorem probabilitatem assecutam esse, postquam Hirzelius demonstravit[5]) cum in aliis tum in Pythicis dialogis philosophi Chaeronensis inveniri nonnulla, quae cum Dicaearchi fragmentis manifesto concinerent. Quod si ita est, ex iis quoque locis, quos Hirzelius inter se comparavit,[6]) plane elucet libro supra citato Dicaearchum in oraculum Trophonii invectum esse.

---

[1]) Haec doctrina Peripateticorum aliis quoque locis eiusdem operis Tulliani legentibus occurrit: vide illum conspectum (I 3, 5), quo edocemur Dicaearchum cetera divinationis genera sustulisse, somniorum et furoris reliquisse eademque ratione Cratippum Peripateticum, familiarem Ciceronis, usum esse. Quibuscum verbis congruit tertius locus *ibid.* I 50, 113.

[2]) Aëtii *Plac.* V 1, 4 (*Doxogr. Gr.* p. 416 a 1 sqq. D.). Quomodo sane philosophus illud cum reliqua sua psychologia conciliaverit, non liquet: Zeller II 2^3 p. 891 et Rohde *Psyche* II^4 p. 310 adn. Ceteroquin de Aristotele idem memoriae proditur, sed omnia huiusmodi testimonia (velut Cic. *de divin.* I 38, 81) nullius momenti esse ostendit Zeller *l. l.* p. 551 adn. 4.

[3]) cf. Mueller *FHG* II p. 266 sq. frg. 71—73.

[4]) *Orchomenos und die Minyer*² 1844 p. 144 sq. Muelleri sententia probatur Martinio apud Pauly-Wissowa V 1 col. 559; simile iudicium fert Hirzel *Der Dialog* I p. 320.

[5]) *l. l.* II p. 160 adn., p. 193 adn., p. 211 adn.

[6]) Res postulat ut locos gravissimos breviter afferam: Plut. *de*

Denique nobis hic laudandus est Heraclides Ponticus, qui etsi philosophandi ratione et dictionis elegantia scholam Platonicam referebat, propter copiam eruditionis ac multitudinem librorum Peripateticis similior erat. Is conscripsit opus *περὶ χρηστηρίων*,[1]) quo origines templorum fatidicorum et varia divinandi genera persecutus est atque ipsa attulit responsa. Haud scio an idem in formam fidemque oraculorum inquisiverit, si quidem Choerobosci adnotationes[2]) licet ad illum Heraclidem dirigi: *σημειούμεθα παρ' Ἡρακλείδῃ*[3]) *ἐν τοῖς Περὶ χρησμῶν, ὅτιπερ καὶ λέγουσί τινες πεπλασμένον εἶναι, τὸ ὦ Πέρση ποικιλόδιφρε, ἰδὼν ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι·*[4]) *ἔστι γὰρ ἐνταῦθα ἐθνικόν, καὶ εἰς η καταλήγει ἡ κλητική.* Sed utut res se habet, Heraclidem Ponticum in oraculis aestimandis potius Aristoteli quam Platoni se applicuisse ostendit narratiuncula apud Diogenem Laert. V 6, 91 servata, unde discimus cum Heracleotae fanum Delphicum adirent, Pythiam ab Heraclide pecuniis corruptam esse.

De oraculis colligendis tuendisque nulla schola tam bene merita est quam Stoicorum, qui quoniam diligenter cavebant, ne vulgi sententiis adversarentur, atque id pro summo argu-

---

Pyth. orac. cap. 14 p. 400 f ~ Dicaearchi frg. 72 (= Athen. XIII 594 e sqq.) et Plut. *ibid.* cap. 24 p. 406 d ~ Dic. frg. 73 (= Cic. *ad Attic.* VI 2, 3; cf. *de republ.* II 4, 8).

[1]) Reliquias huius libri (cf. *FHG* II p. 197 sq. adn. 2) optime edidit O. Voss *De Heraclidis Pontici vita et scriptis* diss. Rostoch. 1896 p. 89 sqq. frg. 96—103; porro conferas Wolff *Porphyr. de philos. ex orac. haur.* (1856) p. 46 et Zeller II 1^4 p. 1038 adn. 4.

[2]) *Schol. in Theodos. can. ἀρσ. δ'* (Grammat. Gr. IV 1 p. 163, 35 sqq. Hilgard).

[3]) Hoc fragmentum Voss (*l. l.* p. 91 sq.) Heraclidi Lembo vindicare studuit; sed fateor me causis Vossianis convictum non esse. Cur enim prorsus fieri non potest, ut narratio Plutarchea (*vit. Alex.* cap. 26—27 med.), in qua Callisthenes citatur, e libro Pontici fluxerit? Nam postquam Voss *ibid.* p. 19, ubi breviter complectitur quid de Heraclidis vita eruere sibi contigerit, ipse affirmat Ponticum etiam post annum 315 vixisse, non intellego, quare Heraclides illam narrationem non e Callisthene sumere potuerit.

[4]) Versum emendare conatus est Lentz (Herodian. II 2 p. 690) proponens aut *ὦ Πέρση ποικιλόδιφρε, Τῶνδ' ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι* aut *Πέρση π., θεῶν δ' ἀπὸ χ. ἔ.*

mento veri habebant si quid communibus probaretur notionibus, his ultro incitati sunt, ut singulas divinandi species defensarent.[1]) Ac postquam Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsit quae Cleanthes paulo uberiora reddidit, Chrysippus universam divinationem duobus libris tractavit[2]) eisque fulsit argumentis quibus omnes fere sectatores Porticus utebantur (cf. Cic. *de divin.* I 3, 6).

Stoicis autem non sufficiebat primum a deo,[3]), deinde a fato, tertium a natura omnem vim rationemque divinandi repetere (Cic. *l. l.* I 55, 125); sed veritatem eius ut rebus ipsis comprobarent, alia super alia exempla accumulaverunt. Itaque Chrysippus, ut erat in omni historia curiosus (Cic. *Tusc. disp.* I 45, 108), peculiari opere etiam oracula congessit et eis patrocinatus est. Nam unde Gustavus Wolff[4]) concluserit Stoicum magis adversus ea quam de iis scripsisse, me fugit: immo in illo libro *collegit innumerabilia oracula Chrysippus nec ullum sine locuplete auctore atque teste* (Cic. *de divin.* I 19,37); et Apollinis potissimum responsa ibi congesta esse testantur verba Tulliana (*ibid.* II 56, 115): *tuis* (o Apollo) *oraculis totum volumen implevit.* Quodsi nonnulli scriptores Byzantini[5]) somnium ex eodem opere

---

[1]) Diog. Laert. VII 1, 149: *καὶ μὴν καὶ μαντικὴν ὑφεστάναι πᾶσάν φασιν.* Aëtii *Plac.* V 1, 1 (*Doxogr. Gr.* p. 415 a 14 sqq. D.): *οὗτοι* (nimirum Stoici) *τὰ πλεῖστα μέρη τῆς μαντικῆς ἐγκρίνουσι.* Praeterea cf. Cic. *Acad. pr.* II 33, 107; *de divin.* I 3, 6; 33, 72; *de fato* XV 33: *Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est huiusmodi oracula ceteraque, quae a divinatione ducuntur, comprobare.*

[2]) *Stoic. vet. fragm.* II p. 342 sqq. n. 1187—1216 Arnim; ceteros qui *περὶ μαντικῆς* scripserant Stoicos enumerat Wachsmuth *Die Ansichten der Stoiker über Mantik und Dämonen* (1860) p. 12—15.

[3]) Nota est Stoicorum conclusio: si divinatio est, dii sunt et, si dii sunt, est divinatio (Cic. *de divin.* I 5, 9 sq.); imprimis autem cf. Cic. *l. l.* I 38, 82 sq. (= frg. 1192 Arnim).

[4]) *De novissima oraculorum aetate* (1854) p. 2 et 6; item *Porphyr. de philos. ex orac. haur.* p. 54.

[5]) Phot. *Lexic.* s. v. *νεοττός* (vol. I p. 444 Naber) = frg. 1202 Arnim; eadem narratio exstat apud Suidam s. v. *νεοττός*; denique cf. Apostol. XII 7 (Corp. paroem. Gr. II p. 543 Leutsch-Schneidewin) = Arsen. XXXVII 15. Ceterum ad fingenda oracula non raro proverbia adhibita esse exposuit Hendess *l. l.* p. 5 sqq.

haustum commemorant, quaeret fortassis quispiam, nonne illud somnium ad Chrysippeam *περὶ ἐνυπνίων* commentationem multo rectius possit referri; fatendum est enim, cum Cicero, apud quem ista narratio primum legitur (*l. l.* II 65, 134), nihil aliud dicat nisi hoc somnium esse in libro Chrysippi, oraculorum collectionis nemini in mentem venire. Sed talem opinionem perversam esse cognosces, si haec reputaveris: Chrysippus non raro de eadem materia in diversis libris disputavit atque etiam sua ipse exscripsit et repetivit adeo, ut in quolibet libro de quaque re egisse videatur.[1]) Ita maxime mihi arridet sententia Bagueti[2]) censentis illud somnium in utroque opere philosophi exstitisse. Quid, quod suspicor a Chrysippo etiam oraculum Croeso editum in suum *περὶ χρησμῶν* librum esse receptum. Hanc coniecturam etsi argumentis quae nihil admittant dubitationis confirmare nequeo, tamen me spero aliquot locis Tullianis sic fulturum esse, ut pars quamvis exigua Chrysippeae commentationi reddatur.

Ne dicam posteriores Stoicos eorumque adversarios illud oraculum identidem aut defendisse aut impugnasse, nunc in conspectu ponamus hos locos Tullianos (*de divin.* I 19,37): *Quae Croeso Pythius Apollo ... responderit, quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus nec ullum sine locuplete auctore atque teste* et *ibid.* II 56, 116: *illa amphibolia, quae Croesum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere* ... Videmus ergo a Cicerone oraculum Croeso editum bis componi cum nomine Chrysippi. Sed concedam nondum extra omnem dubitationem positum esse illam sortem exstitisse in Chrysippeo *περὶ χρησμῶν* libro. Quid? si talis accedet locus, qui certius iudicium per-

---

[1]) Diog. Laert. VII 7, 180: *ἐπλήθυνε δ' αὐτὰ* (sc. *συγγράμματα*) *πολλάκις ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ δόγματος ἐπιχειρῶν καὶ πᾶν τὸ ὑποπεσὸν γράφων καὶ διορθούμενος πλεονάκις πλείστῃ τε τῶν μαρτυριῶν παραθέσει χρώμενος.*

[2]) *De Chrysippi vita doctrina et reliquiis* (Lovanii 1822) p. 229. Quae cum ita sint, Schiche *De font. libr. Cic. qui sunt de divin.* diss. Jen. 1875 p. 42 non recte arbitratur per se veri simillimum esse in libro de somniis, non de oraculis, somnia ad Chrysippum relata fuisse exposita, et errare auctorem, qui somnium a Cicerone § 134 narratum libro *περὶ χρησμῶν* tribuerit.

mittat? Cicero enim tradit (*l. l.* II 56, 115) Chrysippum implevisse totum volumen oraculis Apollineis *partim falsis . . . partim casu veris . . . partim flexiloquis et obscuris . . . partim ambiguis et quae ad dialecticum deferendae sint. Nam cum illa sors edita est opulentissimo regi Asiae* (sequitur oraculum Latine versum) *hostium vim se perversurum putavit, pervertit autem suam.* His verbis diligenter examinatis non vana tibi videbitur suspicio nostra: etenim ut ostendat Chrysippum suo *περὶ χρησμῶν* libro etiam ambigua et dialectica effata Apollinis inseruisse, Cicero expresse affert oraculum Croeso editum.

Iam vero quem locum oracula in Stoicorum artificio divinationis obtinuerunt? Hoc ut manifestum fiat, tenuibus lineis adumbrandum est, quomodo illi totam divinandi rationem diviserint. Ac primum quidem duo genera *μαντικῆς* id est *praesensionis et scientiae rerum futurarum* (Cic. *de divin.* I 1, 1)[1]) discernuntur: unum artis particeps est ideoque nominatur artificiosum, alterum quod arte caret naturale significari solet; cf. Pseudo-Plut. *de vit. et poes. Hom.* cap. 212 (vol. VII p. 456, 14 sqq. Bernard.): *ταύτης* (sc. *τῆς μαντικῆς*) *τὸ μὲν τεχνικόν φασιν εἶναι οἱ Στωικοί, οἷον ἱεροσκοπίαν καὶ οἰωνοὺς καὶ τὸ περὶ φήμας καὶ κληδόνας καὶ σύμβολα, ἅπερ συλλήβδην ὄτταν καλοῦμεν κακοῦμεν·*[2]) *τὸ δὲ ἄτεχνον καὶ ἀδίδακτον, τουτέστιν ἐνύπνια καὶ ἐνθουσιασμούς.*[3]) Quod autem ad divinationem naturalem attinet, Quintus Cicero, quippe qui in priore *de divinatione* libro[4]) plerumque Stoice Stoicam sententiam defendat (cf. II 3, 8), haec exponit *ibid.* I 18, 34: *Carent... arte ii, qui non ratione aut coniectura observatis ac notatis signis,*

---

[1]) Ad Zenonem refertur haec definitio divinationis apud Sextum Empir. *adv. math.* IX 132 (p. 420, 13 sqq. Bekk.): *μαντικὴ . . . ἐπιστήμη οὖσα θεωρητικὴ καὶ ἐξηγητικὴ τῶν ὑπὸ θεῶν ἀνθρώποις διδομένων σημείων.* Similiter Chrysippus divinationem definivit his verbis (Cic. *de divin.* II 63, 130 = frg. 1189 A): *vim cognoscentem et videntem et explicantem signa, quae a dis hominibus portendantur.*

[2]) Sic codices: *τεχνικὰ προσηγόρευσαν* in marg. cod. A.

[3]) Eandem partitionem invenies apud Cic. *de divin.* I 18, 34 et II 11, 26.

[4]) Ciceronem hic praeter complura exempla ex epitoma Bruti deprompta et iis quae memoriter profert exceptis maximam partem

sed concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu futura praesentiunt; quod et somniantibus saepe contingit et nonnumquam vaticinantibus per furorem, ut Bacis Boeotius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythraea. Cuius generis oracula etiam habenda sunt, non ea quae aequatis sortibus ducuntur, sed illa quae instinctu divino afflatuque funduntur. In confesso igitur est, quam sedem Stoici sortibus tribuerint: praeter somnia et furoris vaticinia naturali divinationi ea adscripserunt oracula, quae ut Delphis aliisque locis spiritu quodam divino edita collegium sacerdotum interpretabatur. Haec ergo quaestiuncula diiudicata et ad exitum perducta est.

In quanta autem dumeta Stoici correpserint, cum conarentur oracula reliquae imprimis de fato doctrinae accomodare, ostendunt duo Chrysippei *περὶ εἱμαρμένης* libri, quorum fragmenta Alfredus Gercke[1]) ita collegit, ut consilium auctoris egregie perspiciamus. Sed priusquam ad ipsam oraculorum interpretationem aggrediamur, necessarium est nonnulla de dispositione illius operis praemittere.

Quisquis audiverit in priore libro Chrysippum docuisse omnia secundum fatum fieri, haud mediocriter puto mirabitur, quod philosophus in altero sententiam prorsus contrariam prodidit aliquidque in potestate humana situm esse asseveravit.[2]) Quo-

---

e Posidonii quinque *περὶ μαντικῆς* libris hausisse probabile reddiderunt Schiche *l. l.* p. 25 et Hartfelder *Die Quellen von Cic. zwei Büchern de divin.* p. 11; his commentationibus nuper accessit: Heeringa *Quaestiones ad Cic. de divin. libros duos pertinentes* diss. Groning. 1907, cuius prior pars in fontibus detegendis versata nihil fere novi aperuit. Loercher *De composit. et fonte libri Cic. qui est de fato* (diss. Hal. 1907) censet p. 8 adn. 1 Ciceronem ad priorem de divinatione librum praeter Posidonium et Chrysippi de somniis ac de oraculis libros adhibuisse etiam opus Cratippi Peripatetici, cui Loercher vindicat pleraque exemplorum Graecorum quae inde a § 39 afferuntur.

[1]) *Chrysippea* Fleckeis. annal. suppl. XIV (1885) p. 689—781; fragmenta duorum *περὶ εἱμαρμένης* librorum invenies ibi p. 715 sqq. n. 34—150. In exponenda Chrysippea de fato et libero arbitrio doctrina ducem sequor Gerckium *l. l.* p. 698.

[2]) cf. verba Diogeniani, quae laudat Eusebius *Praep. ev.* VI 8, 25 sq. p. 265 d: Chrysippus priore libro affirmat *πάντα κατηναγκάσθαι* . . . 26 *φησὶν οὖν ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τὸ μὲν ἐξ ἡμῶν πολλὰ γίνεσθαι*

modo autem Chrysippus conciliavit has opiniones plane alienas? Nimirum voluntatem hominum non poterat inducere, nisi expulsa necessitate fatum posuit ordinem seriemque causarum naturalium esse. Has igitur tamquam cuique rei antecedentes sic distinxit, ut alias principales et perfectas in nobis sitas efficere actiones, alias adiuvantes proximasque movere ipsas illas diceret: sine his enim causis extrinsecus accidentibus neque principales causas neque actiones fieri. Itaque visa (*φαντασίας*) extrinsecus recipimus, quae cum e nostro arbitrio non pendeant, fatalia appellare Chrysippus non dubitat; ipsi illorum quasi iudices aut assentimur aut respuimus (cf. Cic. *de fato* cap. XVIII 41 sq.). Quid, nonne hac libera voluntate tollitur et fatum ex aeternitate impendens et divinatio? Hoc cum adversarii intellegerent et oracula valente fato inutilia esse Chrysippo obicerent, id ipsum affirmavit fato praevideri et una computari: condiciones enim quasdam fato dari, arbitrium nostrum omnesque actiones confatalia *(συνειμαρμένα)* esse contendit, ut illorum *λόγον ἀργὸν* removeret.[1])

Chrysippus ergo ut modo omnia fato effici defendit, modo aliquid in potestate nostra esse, ita in oraculis enarrandis hanc structuram totius operis videtur observasse. Exempla docent. Alexander Aphrodisiensis, qui in recuperanda doctrina Porticus optimum se praebet ducem, quoniam proprium de fato libellum adversus Stoicos composuit,[2]) nobis suppeditat interpretationem

---

δῆλον εἶναι, οὐδὲν δὲ ἧττον συγκαθειμάρθαι καὶ ταῦτα τῇ τῶν ὅλων διοικήσει. Gellius *Noct. Att.* VII 2, 15 (vol. I p. 286 Hosius) dicit se in Ciceronis de fato libro haec legisse (frg. 97 G.): *Chrysippus aestuans laboransque, quonam hoc modo explicet et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis, intricatur.*

[1]) Cic. *de fato* XII 28: *Nec nos impediet illa ignava ratio, quae dicitur; appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita* . . . cf. *ibid.* XIII 30 et Origen. *contr. Cels.* II 20 (vol. I p. 150 sq. K.), cuius disputatio cum fonte Tulliano cohaerescere videtur.

[2]) Alexander nusquam nomina Stoicorum addit; tamen docti non dubitaverunt omnia Alexandri de Stoicis testimonia, quae cum Chrysippea doctrina non pugnant, ipsi Chrysippo tribuere, cuius et sen-

fabulae Oedipodis, quam Gercke optimo iure inter fragmenta prioris περὶ εἱμαρμένης libri Chrysippei recepit.[1]) Ibi introducuntur enim tales adversarii, qui interrogantes, cur si omnia necessitate fiant oracula quaedam edantur quasi consilia, Stoicos urgent atque exempli gratia responsum Laio datum afferunt, per quod Apollo Pythius illum monuit, ne liberos sereret.[2]) Quibus ut occurrat, Chrysippus diserte explicat Apollinem illud responsum non edidisse, quasi nesciret Laium obtemperaturum non esse, sed *ὅτι μηδὲν μὲν αὐτοῦ τοιοῦτον χρήσαντος οὐδὲν ἔμελλεν τῶν κατὰ τὴν περιπέτειαν τὴν περὶ τὸν Λάιόν τε καὶ τὸν Οἰδίπουν γενομένων γίνεσθαι· οὔτε γὰρ ἂν ἐξέθηκεν ὁ Λάιος τὸν γενόμενον αὐτῷ παῖδα, ὡς ἐξέθηκεν, οὔτ' ἀναιρεθεὶς ὁ παῖς ὑπὸ τοῦ βουκόλου καὶ δοθεὶς πρὸς εἰσποίησιν τῷ Κορινθίῳ Πολύβῳ, ἀνδρωθεὶς καὶ περιτυχὼν τῷ Λαίῳ κατὰ τὴν ὁδὸν ἀγνοῶν τε καὶ ἀγνοούμενος ἀπέκτεινεν αὐτόν. οὐ γὰρ ἄν ποτε ὡς υἱὸς ἔνδον παρ' αὐτῶν τρεφόμενος ἠγνόησε τοὺς γονεῖς, ὡς τὸν μὲν αὐτῶν ἀποκτεῖναι, τὴν δὲ ἀγαγέσθαι πρὸς γάμον.* Forsitan Chrysippo vindicanda sunt etiam sequentia, in quibus tamen adversarium audis loquentem: *ὅπως οὖν πάντα ταῦτα σωθῇ καὶ πληρωθῇ τὸ τῆς εἱμαρμένης δρᾶμα, φαντασίαν ὁ θεὸς διὰ τοῦ χρησμοῦ τῷ Λαίῳ παρέσχεν ὡς δυναμένῳ φυλάξασθαι τὰ λεγόμενα, καὶ ἐπεὶ μεθυσθεὶς ἐπαιδοποιή-*

---

tentiae sunt et ratio conclusionis inest logicae: cf. Arnim *Stoic. vet. fragm.* I praef. p. XVII. — Alexandri περὶ εἱμαρμένης libellum optime edidit Ivo Bruns *Suppl. Aristot.* II 2 (1892) p. 164 sqq.

[1]) frg. 94 (= Alex. *de fat.* cap. 31 p. 201, 32—202, 24 Br.).

[2]) Versus quos Alexander hic laudat sunt Euripidis *Phoeniss.* 19/20; ac philosophos de fato disputantes Euripideis numeris uti maluisse quam ipsius oraculi verbis, quae auctores argumentorum Graecorum in Sophoclis *Oedip. R.* et in Euripidis *Phoeniss.* praebent, adnotavit iam Valkenaer in commentario Phoeniss. vol. I (1824) p. 120. Collegi hos locos: Luc. *Iov. confut.* cap. 13, Oenom. ap. Euseb. *Praep. ev.* VI 7, 25 p. 258 c, Max. Tyr. *diss.* XIX 5, Albin. *διδασκαλικὸς* cap. 26, Origen. *contr. Cels.* II 20 (vol. I p. 150, 1 sqq. K.); denique oraculum Euripideum tribus senariis reddidit Chalcidius *in Plat. Tim.* cap. 153 (p. 210, 5 sqq. Wr.). — Ceterum sub nomine Lai collectionem oraculorum latam esse (cf. Herod. V 43 et Soph. *Oedip. R.* vs. 906, ubi codicum lectio tenenda est) mea quidem sententia evicit Wilamowitz Herm. XXXIV (1899) p. 76 sq.

σατο, ἐξέθηκεν τὸ γενόμενον παιδίον ὡς διαφθερῶν, ἥτις ἔκθεσις αἰτία τῶν ἀνοσίων μύθων ἐγένετο. Hunc in modum Chrysippus Apollinem reddit opificem eorum, quae vaticinatur,[1]) et fatum oraculis probat; quare coactus est confiteri parentes Oedipodis ac Paridis caedem filiorum omni arte molitos, ut exitium sibi imminens evitarent, tamen hoc voto potiri non potuisse: ita philosophus agnoscit ne ipsis quidem praedictionem malorum quicquam profuisse propter fati vim ac necessitatem.[2])

In altero autem libro eiusdem operis oraculum Laio editum Chrysippo sic enarrandum erat, ut generalem doctrinam ibi prolatam [respiceret. Paucas et exiles reliquias huius interpretationis servaverunt Oenomaus, Albinus, Chalcidius. *Ἐκεῖνο γὰρ δὴ τὸ καταγελαστότατον ἁπάντων,* inquit Oenomaus,[3]) *τὸ μίγμα καὶ ἡ σύνοδος τοῦ καὶ ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τι εἶναι καὶ εἱρμὸν οὐδὲν ἧττον εἶναι. προσεοικέναι γὰρ αὐτόν* (sc. Chrysippum quem supra nominavit), *ὡς λέγουσιν οἱ σοφώτεροι* (nimirum Stoici), *τῷ Εὐριπιδείῳ λόγῳ· τεκνῶσαι μὲν γὰρ ἐθελῆσαι τὸν Λάιον κύριον εἶναι τὸν Λάιον, καὶ τοῦτο ἐκπεφευγέναι τὴν Ἀπολλωνίαν ὄψιν· τεκνώσαντι δ' αὐτῷ ἐπεῖναι ἀνάγκην ἄφυκτον ὑπὸ τοῦ φύντος αὐτὸν ἀποθανεῖν.* Quocum loco concinunt verba Albini[4]) *διδ.* cap. 26 (= frg. Chrys. 122, 7 sqq. G.): *ἀδέσποτον οὖν ἡ ψυχή, καὶ ἐπ' αὐτῇ μὲν τὸ πρᾶξαι ἢ μή, καὶ μὴ κατηνάγκασται τοῦτο, τὸ δὲ ἑπόμενον τῇ πράξει καθ' εἱμαρμένην συντελεσθήσεται*, atque Euripideo versu allato addit: *ἐν τῷ θεσμῷ δὴ περιέχεται μὲν καὶ ὁ Λάιος καὶ τὸ φῦσαι αὐτὸν παῖδα, καθείμαρται δὲ τὸ ἑπόμενον.* De eadem re Chalcidius, quem constat nonnusquam tradidisse veterum Stoi-

---

[1]) Alex. *de fat.* cap. 31 (p. 203, 1 Br.): *οἱ δὲ* (sc. Stoici) *τὸν Ἀπόλλω ποιητὴν ὧν προαγορεύει ποιοῦσιν.*

[2]) Diogenianus apud Euseb. *Praep. ev.* IV 3, 12 sq. p. 139 a b (= frg. Chrys. 95 G.); cf. infra p. 79.

[3]) In *Γοήτων φώρᾳ* apud Euseb. *Praep. ev.* VI 7, 23 p. 258 b (= frg. Chrys. 126 G.).

[4]) Nam ab Albino Platonico etiam illum librum, cui titulus est *Ἀλκινόου διδασκαλικὸς τῶν Πλάτωνος δογμάτων* (ed. Hermann Plat. *dial.* vol. VI p. 152 sqq.), compositum esse demonstravit Freudenthal *Der Platoniker Albinos und der falsche Alkinoos* Hellenist. Stud. III (1879) p. 275 sqq. Hic Albinus a Chrysippo nonnulla mutuatus est: Gercke *Chrysippea* p. 696.

corum praecipue Chrysippi placita,[1]) fusius loquitur in commentario ad Platonis Timaeum composito cap. 153 (p. 210, 4 sqq. Wr.): *Hac ratione Laio praedictum est ab Apolline: 'Cave vetatos liberum sulcos seras, | Generatus ille te mactabit impie | Et omnis aula respergetur sanguine'. His quippe oraculis ostendit penes Laium fuisse, ne sereret, quae praecessio est. Quod porro insecutum est, iam non in potestate Lai, sed potius in necessitate fatali iuxta meritum praecessionis.*[2]) Haec exempla satis sunto: iam intellexeris Chrysippum eandem sortem diverse interpretatum esse.[3]) Qua in re non Stoicum se praebet, sed ipsum Chrysippum, qui sententias prorsus alienas conciliavit opinionesque ceterarum scholarum, imprimis Aristotelis ut videtur, disciplinae antiquitus sibi traditae et stabilitae ita adiunxit, ut novam prodisse factionem putes (cf. Gercke *l. l.* p. 698).

Nunc pergamus ad Stoicam oraculorum defensionem qualis invenitur apud Ciceronem vestigia Posidonii secutum.[4]) *Num-*

---

[1]) cf. Gercke *l. l.* p. 695 et Mus. Rhen. XLI (1886) p. 270. Propriam de hac re quaestionem instituit Switalski *Des Chalcidius Kommentar zu Platos Timaeus* Beitr. zur Gesch. d. Philos. d. Mittelalters III 6 (1902) p. 28 sqq., p. 38 adn. 1, p. 54, p. 108 adn. 1.

[2]) Illis disputationibus conveniunt quae versibus supra allatis Euripideis adiecit Origenes *contr. Cels.* II 20 (vol. I p. 150, 4 sqq. K.): *καὶ ἐν τούτῳ τοίνυν ⟨σαφῶς⟩ δηλοῦται ὅτι δυνατὸν μὲν ἦν τῷ Λαίῳ μὴ σπείρειν 'παίδων ἄλοκα'· οὐκ ἂν γὰρ τὸ μὴ δυνατὸν προσέταξεν αὐτῷ ὁ χρησμός· δυνατὸν δὲ ἦν καὶ τὸ σπείρειν, καὶ οὐδέτερον αὐτῶν κατηνάγκαστο* . . . Origenem hand paucis locis Chrysippeos libros usurpasse censet Arnim *Stoic. vet. fragm.* I praef. p. XLVI sq.

[3]) Quae cum ita sint, Switalski non recte affirmat *l. l.* p. 95 adn. Chalcidianam interpretationem Oedipodis fabulae contra rationem sentiendi Stoicam pugnare.

[4]) Quantum sane Cicero hic Posidonio debuerit, non liquet; etenim — ut utar verbis Arnimi *l. l.* p. XXX — *quae priori 'de divinatione' libro Posidonii insunt, eorum magnam partem iam in Chrysippi libris exstitisse probabile est. Ita enim Posidonius in hac doctrina videtur versatus esse, ut quae a prioribus philosophis, a Chrysippo, a Diogene, ab Antipatro de divinatione cum disputata tum collecta erant, coniuncta proderet magis quam novis placitis augeret.* Haud scio an e locis Tullianis (*de divin.* I 19, 37 et II 56, 115) concludi liceat Ciceroni librum *περὶ χρησμῶν* Chrysippeum in manibus fuisse.

quam illud oraculum Delphis, inquit Quintus *de divin.* I 19, 37 sq., *tam celebre et tam clarum fuisset neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, nisi omnis aetas oraculorum illorum veritatem esset experta. Idem iam diu non facit. Ut igitur nunc in minore gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit, sic tum nisi summa veritate in tanta gloria non fuisset.* Quodsi adversarii interrogant, cur iam oracula Delphis non edantur, Stoici utpote eorum patroni respondent vim illam terrae, quae mentem Pythiae divino afflatu concitaret,[1]) evanuisse vetustate, ut quosdam evanuisse et exaruisse amnes aut in alium cursum contortos et deflexos videas (*ibid.* I 19, 38 = II 57, 117). Hanc fuisse Stoicam rationem oracula tutandi elucet ex verbis Demetrii, quem Plutarchus in suo *de def. orac.* dialogo perspicue asseclam Porticus descripsit;[2]) ille enim postquam *τὴν ἐνταῦθα τῶν χρηστηρίων ἀμαύρωσιν* proposuit, simillima ac Quintus comparatione usus ita disputare pergit cap. 5 p. 411 e: — — *τὴν Βοιωτίαν ἕνεκα χρηστηρίων πολύφωνον οὖσαν ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις νῦν ἐπιλέλοιπε κομιδῇ καθάπερ νάματα καὶ πολὺς ἐπέσχηκε μαντικῆς αὐχμὸς τὴν χώραν.*

Ceterum idem Demetrius — ut tandem ad calcem huius partis veniamus — sermonem aliis disceptationibus interruptum ad quaestionem a se propositam reducere studet cum dicat

---

[1]) Exhalationes terrae dicit, quibus repleta et in furorem acta sacerdos oracula edebat. Sed illas exhalationes terrenas (*πνεῦμα ἐνθουσιαστικόν* apud Strab. IX 3, 5 p. 419) nihil aliud fuisse nisi futtile commentum veterum ostendit imprimis geologicis causis adductus Oppé *The chasm at Delphi* Journ. of Hell. Stud. XXIV (1904) p. 214 sqq., cui adstipulantur Hoefer apud Roscher *Lex. d. griech. u. röm. Myth.* III 2 col. 3382 sq. et Martin P. Nilsson *Arch. f. Rel.-Wiss.* XII (1909) p. 578. Sane ecclesiastici potissimum scriptores retineri non potuerunt, quin maligne praedicarent spiritum per veretra in corpus Pythiae intrare: locis, quos Fehrle *Die kultische Keuschheit im Altertum* diss. Heidelb. 1908 p. 7 sq. collegit, adde Origen. *contr. Cels.* III 25 (vol. I p. 221, 27 sqq. K.).

[2]) cap. 11 p. 415 e Demetrius incensionem mundi attingit (cf. cap. 12 p. 415 f verba Cleombroti: *τὴν Στωικὴν ἐκπύρωσιν*) et cap. 45 p. 434 d impugnat Epicureos, qui pulchra freti psychologia sua religioni et oraculis illudant. Vide Hirzel *Der Dialog* II p. 190 adn. 1.

ibid. cap. 38 p. 431 a b: ἀλλ' ἀνοιστέος ὁ λόγος ... ἐπὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς ὑπόθεσιν. τὸ γὰρ ἀφισταμένων καὶ ἀπολειπόντων τὰ χρηστήρια τῶν δαιμόνων ὥσπερ ὄργανα τεχνιτῶν ἀργὰ καὶ ἄναυδα κεῖσθαι λεχθέν, ἕτερον λόγον ἐγείρει τὸν περὶ τῆς αἰτίας μείζονα καὶ δυνάμεως, ᾗ χρώμενοι ποιοῦσι κατόχους τοῖς ἐνθουσιασμοῖς καὶ φαντασιαστικοὺς τοὺς προφήτας καὶ τὰς προφήτιδας. Nonne his verbis Demetrius sententiam Cleombroti, quem supra vidimus (p. 26) defectum oraculorum a recessu daemonum duxisse (cf. *l. l.* cap. 15 p. 418 d), aperte probat? Ac profecto pauca indicia si non eiusdem, at tamen similis doctrinae alibi quoque inveniuntur. Posidonius quidem affirmat (Cic. *de divin.* I 30, 64) deorum appulsu homines somniare etiam hoc modo, *quod plenus aer sit immortalium animorum,*[1]) *in quibus tamquam insignitae notae veritatis appareant.* Deinde apud Stobaeum [2]) legitur: εἶναι τὴν μαντικήν φασιν (sc. Stoici) ἐπιστήμην θεωρητικὴν σημείων τῶν ἀπὸ θεῶν ἢ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον συντεινόντων. Quae cum ita sint, a vero non plane aberrabimus, si huiusmodi testimoniis innixi Stoicos in eis philosophis numeramus, quibus persuasum erat per daemonas ut interpretes divinae voluntatis oracula hominibus mitti.[3])

Stoicis autem dimissis transeamus ad Epicurum, cui τέλος ἦν τοῦ περὶ θεῶν λόγου τὸ μὴ φοβεῖσθαι θεόν, ἀλλὰ παύσασθαι ταραττομένους.[4]) Propterea Epicurus non solum vulgi opiniones deorum omnesque preces maximopere fastidiebat,[5]) sed

---

[1]) cf. Heinze *Xenokrates* p. 98. Posidonium περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων scripsisse memorat Macrobius *sat.* I 23, 7 p. 124, 17 Eyss.

[2]) *ecl.* II 7, 5 b 12 (vol. II p. 67, 16 sqq. Wachsm.) ~ II 7, 11 s (*ibid.* p. 114, 16 sqq.).

[3]) Wachsmuth sane, qui verba Demetrii neglexit, pedetemptim cauteque de hac quaestione loquitur: *D. Ansicht. d. Stoiker über Mantik u. Dämonen* p. 20 et p. 29.

[4]) Plut. *contr. Epicuri beatit.* cap. 8 p. 1092 b (= frg. 384 Usener); vide Lucretium *de rer. nat.* I 62 sqq.

[5]) Epic. *epist.* III apud Diog. Laert. X 123 (p. 60, 7 sq. Us.): ἀσεβὴς δὲ οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ' ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας θεοῖς προσάπτων. Ita fit, ut Epicurus ne daemonas quidem esse arbitretur: Plut. *de def. orac.* cap. 20 p. 420 c sqq. et Aëtii *Plac.* I 8, 3 = *Doxogr. Gr.* p. 307, 15 sq. D. (ad quem locum con-

fato ac providentiae ita adversabatur,[1] ut etiam divinationem, quam Stoici inde duxerant, prorsus improbaret[2]: etenim *nihil tam irridet Epicurus quam praedictionem rerum futurarum* (Cic. *de nat. deor.* II 65, 162). Facile igitur intellegimus oracula ab eodem improbata esse. Nam etsi nullum eiusmodi ab Epicuro dictum memoriae proditum est, tamen aliis testimoniis haec res citra omnem dubitationem ponitur. Origenes quidem affirmat[3] ostendi posse verbis Epicuri eiusque asseclarum oracula, quae universis Graecis maximae sint admirationi, a nonnullis everti, et Eusebius (*Praep. ev.* IV 2, 13 p. 136 b) postquam explanavit nec daemonas nec deos sparsorum per urbes oraculorum auctores fuisse, verum a fallacia et praestigiis circulatorum talia proficisci, in vindices huius opinionis praeter Aristotelicos et Cynicos refert etiam Epicureos, quippe qui vaticinia ab omnibus celebrata non modo vanitatis coarguerint, sed perniciosa potius quam utilia esse demonstrarint. Tum idem Eusebius (*ibid.* IV 3, 14 p. 139 b c) divinationem opera Diogeniani refutat et denuo Epicureos inter philosophos oracula deridentes numerat. Adde quod Alexander Abonotichita, ille praestigiator longe versutissimus qui altero p. Chr. n. saeculo effatis summam sibi peperit auctoritatem, Epicurum vehementer metuens tamquam hominem sapientia imposturam ipsius oppugnantem (Luc. *Alex.* cap. 43 extr.) tanto prosecutus est odio,[4] ut eius librum cui titulus

---

feras Zeller III 1⁴ p. 443 adn. 7) et Attic. apud Euseb. *Praep. ev.* XV 5, 10 p. 800 a. Quid Epicurus eiusque discipuli de precibus iudicaverint, explicat H. Schmidt *l. l.* p. 22 sqq.

[1]) Providentiam esse divinam denegabant Epicurei (vide Usener *Epic.* p. 245 sqq.): apud Ciceronem *de nat. deor.* I 8, 18 Velleius Epicureus *πρόνοιαν* Stoicorum cavillatur et *anum fatidicam* appellat; cf. Plut. *de def. orac.* cap. 19 p. 420 b (= frg. 394 Us.), ubi legimus providentiam ab Epicureis per ludibrium *μῦθον* vocatam esse.

[2]) Reliquias ad divinationem spectantes collegit Usener *Epic.* (1887) p. 261 sq. n. 395. Porro cf. Epict. *diss.* II 20, 27: Epicurei *τὴν Πυθίαν ἀνακρίνουσιν αὐτοί, ἵνα τὰ ψευδῆ πύθωνται, καὶ ἄλλοις τοὺς χρησμοὺς ἐξηγοῦνται.*

[3]) *contr. Cels.* VII 3 (vol. II p. 154, 29 K.) et *ibid.* VIII 45 (vol. I p. 260, 16).

[4]) Quantopere Alexander oderit Epicurum, identidem exponit Lucianus: cap. 25, 38, 43 sqq., 47, 61.

erat *Κύριαι Δόξαι* in medio foro concremaret et cineres in mare abiceret (*ibid.* cap. 47).

Quibus in universum disputatis [1]) pergamus ad singulos Epicureos eorumque de responsis Apollineis sententias. A Colote quidem, discipulo Epicuri, illud de Socrate oraculum in suspicionem vocatum esse Plutarchus memorat; [2]) et Lucretius cum alios philosophos tum Empedoclem commendat, qui licet nonnumquam erraverint, nihilominus — *multa bene ac divinitus invenientes | ex adyto tamquam cordis responsa dedere | sanctius et multo certa ratione magis quam | Pythia quae tripodi a Phoebi lauroque profatur.* [3]) Quoniam posteriores Epicurei satis habebant scholasticam doctrinam tradere neque proprio Marte philosophabantur, consentaneum est illa crimina, quae antistes princeps disciplinae in oracula intulerat, ab eius assectatoribus recocta esse. Quare adiungo quae in Plutarcho *de Pyth. orac.* libello dicta sunt a Boetho, quem in castra Epicuri [4]) transiturum esse ibi legimus cap. 5 p. 396 d e. Hic scepticorum more Stoicam conclusionem Sarapionis pervertit, [5]) et cum Philinus maxime Delphica donaria una cum divina providentia moveri ac futuras res portendere neque ullam eorum partem inanem aut sensus vacuam esse, sed repleta omnia divinitate contendat, Boethus maligne respondet cap. 8 p. 398 a b: *ναί.. οὐ γὰρ ἀρκεῖ τὸν θεὸν*

---

[1]) Denique huc spectant quae Epicurum in epistula quadam ad Idomenea missa narravisse tradit Apostolius XV 9 (Corp. paroem. Gr. II p. 630 L.-Schn.): cf. etiam Phot. *Lex.* s. v. *Πύθια* (vol. II p. 121 Naber) et Suid. sub eadem voce. Recte iudicavit de illa narratione Gassendi *Animadv. in dec. libr. Diog. Laert.* (Lugduni Bat. 1649) p. 1662.

[2]) *adv. Colot.* cap. 17 p. 1116 e f.

[3]) *de rer. nat.* I 736—739; cf. V 111/2.

[4]) cf. etiam *l. l.* cap. 7 p. 397 c d, ubi Boetho haec obiciuntur: *ὑμᾶς τοὺς τοῦ Ἐπικούρου προφήτας (δῆλος γὰρ εἶ καὶ αὐτὸς ὑποφερόμενος) οὐκ ἔστι διαφυγεῖν, ἀλλὰ κἀκείνας αἰτιᾶσθε τὰς πάλαι προφήτιδας ὡς φαύλοις ποιήμασι χρωμένας, καὶ τὰς νῦν καταλογάδην καὶ διὰ τῶν ἐπιτυχόντων· ὀνομάτων τοὺς χρησμοὺς λεγούσας, ὅπως ὑμῖν ἀκεφάλων καὶ λαγαρῶν μέτρων καὶ μειούρων εὐθύνας μὴ ὑπέχωσι.*

[5]) *ibid.* p. 396 f, quem locum turpiter mutilatum sauavit ne Patonius quidem: *Plutarchi Pythici dialogi tres* (Berol. 1893).

εἰς σῶμα καθειργνύναι θνητὸν ἅπαξ ἑκάστου μηνός,[1]) *ἀλλὰ καὶ λίθῳ παντὶ καὶ χαλκῷ συμφυράσομεν αὐτόν, ὥσπερ οὐκ ἔχοντες ἀξιόχρεων τῶν τοιούτων συμπτωμάτων τὴν τύχην δημιουργὸν καὶ ταὐτόματον.* Perinde autem Boethus explicat eventus vaticiniorum, quae casu evadere soleant (cap. 10 p. 398 f). Quid ergo impedit, quominus ille etiam oracula Sibyllae in irrisionem adducat? quorum cum quaedam fortuito evenerint, similiter falsum esse quod nunc praedicatur, etiamsi postmodo contingat revera (cap. 9 p. 398 d et cap. 10 extr.).

Epicurus saepius cum Carneade sceptico, quem constat adulescentiorem Academiam fundavisse, uno spiritu nominatur;[2]) pugna enim contra disciplinam Stoicam ab Academicis non minus quam ab Epicureis facta est. Divinationem ut revinceret,[3]) Carneades ostendere studuit, cum nec rerum sensibus subiectarum ulla divinatio esset nec earum quae ad artes aut philosophiam aut rempublicam spectarent, divinationi ea tantum fortuita relinqui, quae nulla nec arte nec sapientia provideri possent.[4]) Sed quomodo earum rerum, quae nihil habent rationis quare futurae sint, esse potest ulla praesensio? *Itaque dicebat Carneades*[5]) *ne Apollinem quidem futura posse dicere nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset.... ita ne praeterita quidem ea, quorum nulla signa tamquam vestigia exstarent, Apollini nota esse censebat; quo minus futura! causis enim efficientibus quamque rem cognitis posse denique sciri, quid futurum esset. Ergo nec de Oedipode potuisse Apollinem praedicere nullis in rerum natura causis praepositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset, nec quicquam eiusmodi.* Patet igitur Carneadem Stoicam interpretationem oraculorum aspernatum esse. Qua in quaestione alter *de divin.* liber Tullianus, quo Stoicorum sententias propulsare auctor omnes nervos contendit, firmiores

---

[1]) Antiquitus semel dumtaxat in anno vaticinatam esse Pythiam idque mense Bysio testatur Plutarchus *Quaest. Gr.* cap. 9 p. 292 f: *ὀψὲ γὰρ ἀνείθησαν αἱ κατὰ μῆνα μαντεῖαι τοῖς δεομένοις.*

[2]) Cic. *de nat. deor.* II 65, 162 et *de divin.* II 23, 51.

[3]) cf. Goedeckemeyer *Gesch. d. griech. Skeptizismus* (1905) p. 77—82.

[4]) Cic. *de divin.* II 3, 9 sqq. (cf. *ibid.* II 5, 14).

[5]) Verba sunt Ciceronis *de fato* XIV 32 sq.

ansas praebebit; nam postquam Schiche et Hartfelder demonstraverunt[1]) Ciceronem ibi maximam partem argumentis Carneadeis usum esse, nemo dubitabit, quin eiusdem libri capita 56 et 57, quibus oracula haud mediocriter urgentur, ex officina Carneadis prodierint. Sed quoniam manifestum est Ciceronem ex suo ingenio non pauca addidisse, illam disputationem Tullianam melius uno tenore perlustrabimus quam in singula frusta discerpemus; quare satis habeo ea verba afferre, quibus Goedeckemeyer laudatis praecipue capitibus Ciceronis nixus Carneadeam de naturali divinatione sententiam complexus est *l. l.* p. 81 sq.: *Im übrigen aber bediente er sich auch hier im wesentlichen ... der Beanstandung der Überlieferung, des Hinweises auf die Seltenheit des Eintreffens, auf das Spiel des Zufalls, die Möglichkeit, ja Wahrscheinlichkeit einer ganz natürlichen Erklärung nicht nur der Träume, sondern auch mancher eingetroffener Prophezeiungen, vergaß aber auch nicht, hervorzuheben, wie wenig sich die häufige Dunkelheit oder Zweideutigkeit der Orakel sowohl als auch der Träume mit ihrem angeblichen Zwecke vertrage ....*

Vidimus totam Porticum de divinatione oraculisque adeo consentire, ut saepe Chrysippea neque a vetustiorum neque a recentiorum edictis discerni possint. Solus hac in re a Stoicis degeneravit Panaetius,[2]) qui illorum tristitiam atque asperitatem fugiens nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit (Cic. *de fin.* IV 28, 79). Nam auctoritate Carneadis for-

---

[1]) Schiche *l. l.* p. 26 sqq. et Hartfelder *l. l.* p. 13—20; excipiendae tamen sunt, ut imprimis quae Cicero immiscuit propria omittam, paragraphi (41) 87—(47) 97, quae ad Panaetium redeunt: Schiche p. 13 et Hartfelder p. 21. — Ciceronem vero non e scripto aliquo Carneadis ipsius hausisse, sed scrinia Clitomachi, qui doctoris placita memoriae prodidit (testimonia vide apud Vick *Quaest. Carn.* diss. Rost. 1901 p. 36), compilavisse consentiunt Schiche p. 42 et Hartfelder p. 19. Denique quae Loercher *l. l.* p. 7 adn. 3 de singulis partibus alterius libri accuratius distinguendis statuit, omnino probanda esse censeo.

[2]) Diog. Laert. VII 1, 149: *ὁ μὲν γὰρ Παναίτιος ἀνυπόστατον αὐτήν* (sc. *μαντικήν*) *φησιν* et Epiphan. *adv. haeres.* III 41 (= *Doxogr. Gr.* p. 593, 6 sq. D.): *Παναίτιος ὁ Ῥόδιος ... τῆς μαντείας κατ' οὐδὲν ἐπεστρέφετο.*

tasse compulsus Panaetius, utpote qui a superstitionibus remotior et ad dubitandum proclivior esset quam ceteri Stoici,[1]) non solum astrologorum praedicta,[2]) verum etiam oracula reiecit. Cui rei sit documento ille locus Tullianus (*Acad. pr.* II 33, 107), ubi Cicero sectatoribus dogmaticorum: — *negatis,* inquit, *fieri posse, ut quisquam nulli rei assentiatur. At id quidem perspicuum est: cum Panaetius . . ea de re dubitare*[3]) *se dicat, quam omnes praeter eum Stoici certissimam putant, vera esse haruspicum ⟨responsa⟩, auspicia, o r a c u l a, somnia, vaticinationes* . . . P o s i d o n i u s autem, discipulus Panaetii, in quibusdam rebus antiquiores Stoicos magis quam magister secutus est,[4]) iamque supra (p. 39) attigimus, quantopere ille divinationem defenderit. Sed ut omnis dubitatio de Posidoniano oraculorum patrocinio evanescat, novum addamus argumentum. In Plutarcheo *de Pyth. orac.* dialogo (cap. 11 p. 399 b sqq.) Sarapion, alter Stoicae doctrinae defensor, Boethum Epicureum, qui divinationem risit, redarguere conatur tribus Apollineis responsis, quibus futurae res accuratissime praedictae sint. Haec autem oracula aperte post eventum ficta iam a Posidonio in suam rem versa esse demonstravit Schmertosch,[5]) cuius rationes supersedeo repetere.

Priusquam vero posteriores Stoicos dimittamus, nobis pertractandae sunt opiniones duorum scriptorum, qui universe ad disciplinam Porticus inclinabant, etsi inter germanos philosophos numerari non possunt: P o l y b i u m et S t r a b o n e m dico.

---

[1]) Etiam de combustione mundi eum haesitavisse intellegitur e Phil. Iud. *de aetern. mund.* cap. 15 (p. 24, 20 sqq. ed. Cumont 1891).

[2]) Vide Cic. *de divin.* I 7, 12; II 42, 88 et 47, 97.

[3]) Vocem dubitandi et nostro loco et *de divin.* I 3, 6 (*nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit)* connexu sententiarum postulari ostendit Schmekel *Die Philosophie der mittleren Stoa* (1892) p. 191 adn. 1 (cf. etiam Hirzel *Untersuch. zu Cic. philos. Schriften* I p. 240 sqq.). Narratione Plutarchi *vit. Tib. Gracch.* cap. 17 fultus adversariis oraculorum Stoicis C. Blossium quoque adscribit Hirzel *l. l.* II 2 p. 882 adn.

[4]) cf. Ritter-Preller, *Hist. philos. Gr.*^{8} 1898 p. 436 § 533 a et 534.

[5]) *l. l.* p. 22 sq. Schmertoschii argumentationem probat novisque exemplis confirmat Diels *Sibyllinische Blätter* (1890) p. 22 adn. 1 et p. 102 adn. 1.

Ac primum quidem Megalopolitanus rerum scriptor,[1]) religionem ipsam haud ita magni aestimabat; ratus enim vulgo tantum eam necessariam esse non dubitavit, quin liceret vel superstitione hominum ad augendam salutem rei publicae uti.[2]) Quid mirum, si idem Polybius Scipionem maiorem cum Lycurgo ideo comparat (X 2, 8 sqq.), quod uterque intellexerit plerosque mortalium neque ea temere admittere, quae abhorreant a communibus sententiis, neque res arduas aut periculosas audere aggredi, nisi dei spem laeti exitus intulerint. Lycurgum autem non adeo superstitiosum fuisse, ut in constituenda Lacedaemoniorum republica omnia ad responsa Pythiae dirigeret; quodsi nihilosetius singulis consiliis suis auctoritatem oraculi a Pythia editi adiecerit, eum non alia causa adductum hoc fecisse nisi ut *εὐπαραδεκτοτέρας καὶ πιστοτέρας* redderet *τὰς ἰδίας ἐπινοίας* (X 2, 11). Dixerit quispiam fieri non posse, ut Polybius, si reapse Stoicis fuerit deditus, ita de oraculis loquatur. Hunc scrupulum facillime opinor evellas: quoniam accepimus Polybium captivum Romae familiariter cum Panaetio usum esse,[3]) mihi quidem exploratum est Polybium censura Panaetii commotum tale iudicium de oraculis tulisse.

S t r a b o quamquam multis in rebus Posidonio se applicuit,[4]) tamen oracula videtur parvi fecisse; locus gravissimus est hic VII 7, 10 p. 328: *τὰ δὲ μυθευόμενα περὶ τῆς δρυὸς* (sc. Dodonidis) *καὶ τῶν πελειῶν, καὶ εἴ τινα ἄλλα τοιαῦτα καθάπερ καὶ περὶ Δελφῶν, τὰ μὲν ποιητικωτέρας ἐστὶ διατριβῆς, τὰ δ' οἰκεῖα τῆς νῦν περιοδείας.*[5]) Quod vero idem *περὶ τοῦ μαντείου* loquitur *ὃ*

---

[1]) De Polybio Stoico egerunt Hirzel *l. l.* II 2 exc. VII, ubi conferas imprimis p. 849 sqq., et Rud. de Scala *Die Studien des Polybios* vol. I (1890) p. 201—255.

[2]) Vide illum tritissimum locum VI 56, 7 sqq.: *καί μοι δοκεῖ τὸ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὀνειδιζόμενον τοῦτο συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα· λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν κτλ.*

[3]) Cic. *de republ.* I 21, 34: — *memineram persaepe te cum Panaetio disserere solitum coram Polybio.* Perinde illam difficultatem expedivit Hirzel *l. l.* p. 882.

[4]) Stephanus Byz. s. v. *Ἀμάσεια* Strabonem appellavit Stoicum philosophum.

[5]) cf. praeterea Strab. X 3, 23 p. 474.

πάντων ἐστὶν ἀψευδέστατον (IX 3, 11 p. 422), haec verba haud dubie redeunt ad Ephorum, cuius vestigia se premere ibidem ipse fatetur; immo quid Strabo de fide oraculi Delphici statuerit, melius aperient quae antecedunt IX 3, 6 p. 419: *ἡ . . ἐπὶ τὸ πλεῖον τιμὴ τῷ ἱερῷ τούτῳ διὰ τὸ χρηστήριον συνέβη, δόξαντι ἀψευδεστάτῳ τῶν πάντων ὑπάρξαι.* Assiduum enim cultorem Apollinis in verbis deligendis non tantam cautionem adhibiturum, sed veracitatem dei confidentius laudaturum fuisse crediderim.[1])

In describendo Ammonis oraculo (XVII 1, 43 p. 813) idem Strabo affirmat sua aetate ut totam divinationem sic oracula magnopere neglegi ideo, quod Romanis carmina Sibyllina atque Etrusca haruspicina sufficiant. Et profecto Romanorum naturae institutisque haec divinatio non solum per se convenientior, sed temporibus Ciceronis accomodatior erat, quia tum ipsi augures, utrum talis disciplina fieri posset necne, valde dissentiebant (Cic. *de leg.* II 13, 32).

Terentius Varro autem id agens, ut vanas aetatis suae superstitiones et cultus peregrinos castigaret, in saturis similia protulisse videtur ac Graeci, dico Menippum et postea Lucianum quos constat ne divinis quidem rebus pepercisse. Inscriptio enim saturae Varronianae servata est (frg. 438 sq. p. 210 [4] Buech.): *Pseudulus Apollo περὶ θεῶν διαγνώσεως,* qui titulus — nam fragmenta certum adminiculum disceptandi non praebent — quin aliquo modo ad Apollinis irrisionem, fortasse ad oraculum Delphicum pertineat, nemo in dubium vocabit edoctus Apollinem passim *ψευδόμαντιν* nominari.[2]) Nonne in tali cognomine, quod ad amussim respondet Pseudulo Apollini Varroniano, micam Menippei [3]) salis mordacissimi sentis? Atque iam ille deus Luci-

---

[1]) Me fugit, quomodo e verbis allatis contrarium ipsum concludere potuerit Goette *Das delphische Orakel in seinem politischen, religiösen u. sittlichen Einfluß auf die alte Welt* (Lips. 1839) p. 126/7 adn. 3.

[2]) Luc. *deor. dial.* XVI 2. Pythiae illud cognomen tribuit Plutarchus *de Herod. mal.* cap. 23 p. 860 d, Ammoni Lucianus *dial. mort.* XIV 5: *ὁ Ἄμμων γόης καὶ ψευδόμαντις ἠλέγχετο.*

[3]) Quare arridet mihi sententia Kaueri (*De Luciano Menippeo* diss. Hal. 1904 p. 42) rati Varronianam saturam fuisse imitationem saturae cuiusdam Menippeae, unde et Lucianus in *Deorum Concilio*

lianus (vss. 33 sqq. Marx) Apollineam divinandi artem luserat. Parilem vero oraculorum contemptionem elicias ex alius Varronianae fragmento saturae (*Serranus περὶ ἀρχαιρεσιῶν* 459 p. 212 B.): *occipitium tripodi ostendo, ex oraclo elimino me.* Haec verba quid significent, citra omnem haesitandi aleam positum est[1]): ille nescio quis dicit accepto oraculo se tergum obvertisse Apollini, cuius mentem per tenebras et ambiguitatem non ceperit. Sane e quali orationis connexu fragmentum quod laudavimus sit depromptum, scissa frustula saturae ne divinare quidem sinunt.[2])

Varroni tempore coniunctus est M. Cicero, cui universa ars divinandi quam maximae curae erat: namque cum secundo *de nat. deor.* libro nonnulla de divinatione inseruit (cap. 3, 7 — cap. 4, 12) eandemque quaestionem in alterum *de leg.* librum inculcavit (cap. 13, 32 sq.), tum hanc materiam diligenter exposuit peculiari opere, cuius structuram supra deteximus. Et quoniam ipse confitetur se nihil aliud petivisse nisi ut copiose et ornate (*Tusc. disp.* I 4, 7), quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, ea Latinis litteris mandaret (*de fin.* I 1, 1),[3]) non parcus fuit in evolvendis auctoribus Graecis, qui περὶ μαντικῆς scripserant; tamen in nullo fere libello Ciceronis ad philosophiam spectante plures inveniuntur partes, quas ipse composuit nullius compendii ordinem secutus aut verba exprimens, quam in secundo *de divin.* libro. Quodsi hanc Tullianam opinionem perscrutabimur, multum in-

---

atque *Iove Confutato* et Oenomaus in Γοήτων φώρᾳ nonnulla delibarent (p. 44). Corruit ergo opinatio Buecheleriana (Mus. Rhen. XIV 1859 p. 430), cui Norden assensus est (Fleckeis. annal. suppl. XVIII 1892 p. 337 adn. 1); nam illa inscriptione *Pseudulus Apollo* περὶ θεῶν διαγνώσεως Serapidem significari Buecheler non evicit, sed coniecit: cf. ipsius verba *l. l.* p. 450 adn. 8 init.

[1]) Vahlen *In M. Terentii Varronis saturarum Menippearum reliquias coniectanea* (1858) p. 219.

[2]) Quod cadit etiam in ea quae *Varro Menippeus* suppeditasse videtur Arnobio *adv. nat.* VI 23 (p. 234, 15 sqq. Reifferscheid).

[3]) Attico miranti respondit (XII 52, 3): *apographa sunt, minore labore fiunt; verba tantum affero quibus abundo.* De Cicerone philosopho praeclare iudicavit Usener *Epic.* praef. p. LXV sqq., ubi etiam proprietates utriusque de divinatione libri Tulliani sagaciter perspectas reperies.

teresse videbimus inter Ciceronem reipublicae deditum et Ciceronem philosophum. Ad tantam enim libertatem animi nondum progressus erat, ut divinationem omnino sublatam vellet, verum in rebus publicis illam conservandam esse censuit.[1]) Eis autem locis, quibus philosophus loquitur, non solum non conatur singula genera divinandi more Stoicorum defendere, sed quantum germana religio absit a divinatione superstitiosa, multis potius verbis ostentat. Id elucet ex ea quoque ratione, qua utitur in refellendis oraculis.

Ac primum quidem salebra quaedam nobis removenda est. Adulescenti enim Ciceroni deum Delphicum consulenti, quonam modo summam gloriam assequi posset, respondisse traditur Pythia, ut ne hominum existimationem, sed suam ipsius naturam constitueret ducem vitae (Plut. *vit. Cic.* cap. 5). Licetne tali narrationi multum tribuere? Recentiores docti id negaverunt adeo, ut eam putarent futtile commentum;[2]) verum haud scio an iniuria. Tullius enim eodem itinere Rhodum profectus Posidonium audiverat; quocirca mea quidem sententia fieri potuit, ut adulescens ab illo patrono divinationis commotus oraculum Apollinis adiret, quin etiam rem ita se habuisse mihi veri simillimum videtur. Postea sane philosophus de responsis Pythiae secus cogitavit. Age vero accuratius nunc consideremus illas alterius *de divin.* libri partes quae huc pertinent (cap. 56, 115 — cap. 57, 118).

Cicero autem priusquam aggrediatur veritatem oraculorum convellere, nonnulla praemittit de versibus Sibyllinis, quibus nullam adiungit fidem (cap. 54, 110 sqq.): *callide enim qui illa composuit perfecit, ut quodcumque accidisset praedictum videretur hominum et temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accomodari*

---

[1]) Quod efficitur e locis qui sequuntur: *de nat. deor.* III 2, 5; *de leg.* II 13, 32 sq.; *de divin.* II 33, 70. cf. Stoerling *Quaest. Ciceronianae ad religionem spect.* diss. Ien. 1894 p. 29 sq.

[2]) Ita iudicaverunt Drumann *Geschichte Roms* V (1841) p. 251 et Hiller de Gaertringen apud Pauly-Wissowa IV 2 col. 2577; contra mihi videntur probanda esse quae dicit Bouché-Leclercq *l. l.* vol. I p. 72. Denique cf. Pomtow Mus. Rhen. LI (1896) p. 376 adn. 4.

viderentur ... Deinde auctor Apollinis operta breviter attingit; ne his quidem credendum esse existimat (cap. 55, 113): *quorum partim ficta aperte, partim effutita temere numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti probata sunt.* Postquam igitur responsa Apollinis suo arbitrio reiecit, tamen quasi ad novam rem transeat expressis verbis dicit (cap. 56, 115): *sed iam ad te venio, o sancte Apollo* ... ipsamque refutationem oraculorum ita instituit, ut ordiatur a censura Chrysippei *περὶ χρησμῶν* libri, quem philosophus affirmat impletum esse *partim falsis ... partim casu veris,*[1] *ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis, et quae ad dialecticum deferendae sint.* Ab his verbis facile transitur ad obscuritatem et amphiboliam oraculorum; cum autem prae aliis percrebruerint illa: *Croesus Halyn penetrans magnum pervertet opum vim*[2] et *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse,*[3] Cicero docet prius oraculum numquam Croeso editum esse et tam ab Herodoto quam posterius ab Ennio potuisse confingi. Atque ut vanitatem alterius responsi comprobet, multas variasque causas enumerat: primum Latine Apollinem numquam esse locutum;[4] deinde istam sortem inauditam Graecis esse; praeterea Pyrrhi temporibus iam Apollinem versus facere desiisse; postremo, quamquam semper fuerit stolidum genus Aeacidarum, tamen Pyrrhum intellegere debuisse ambiguitatem illius responsi.

Haec de sortibus disputatiuncula finitur refutatione Stoicorum, qui defectum oraculorum defendebant vetustatem excu-

---

[1]) Carneadem iam ad casum eventus vaticiniorum revocasse ostendunt verba Quinti *de divin.* I 13, 23.

[2]) Alteram versionem huius oraculi praebet Chalcidius *in Tim. Plat.* cap. 169 (p. 221, 24 Wr.): *Perdet Croesus Halyn transgressus maxima regna.*

[3]) Ab hoc loco Tulliano pendet Minucius Felix *Octav.* cap. 26, 6. Cetera testimonia collegit Vahlen *Ennianae poesis reliquiae*[2] 1903 p. 33 ad *annal.* vs. 179.

[4]) *Certe absque hoc Ciceronis testimonio fuisset, Ennii Latinum carmen ex hoc Apollinis Graeco translatum esse dixissem: νικᾶν σ' Αἰακίδη Ῥωμαίους φημὶ δύνασθαι* non imperite adnotavit Henricus Valesius (1636) ad Ammian. Marc. XXIII 5, 9.

santes. Atque quod acutius telum in Pythicum oraculum inic: potest quam illud: — *cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed iam diu, iam ut nihil possit esse contemptius?*[1]) *Hoc loco cum urgentur, evanuisse aiunt vetustate vim loci . . . de vino aut salsamento putes loqui, quae evanescunt vetustate . . . quando ista vis autem evanuit? an postquam homines minus creduli esse coeperunt?* Negandum non est Ciceronem hic paene excedere modum *ἐποχῆς* quam Academici vocabant; sed ne obliviscamur eum auctore Academico uti, monet acerbissimum de Stoicis iudicium, quo haec pars concluditur.

Ut Cicero sic Philo quoque Iudaeus Graecis permultum debet. Summis vero laudibus idem priscam sapientiam orientis celebrat et, quidquid ex ceterarum gentium litteris ipsi probatur, non dubitat referre ad Mosaicam legem, cuius monumenta interpretatione allegorica ad miram abditamque disciplinam inflectit. Hanc rationem deprehendas etiam in Philoneis de inspiratione placitis. Nam licet hariolandi artes et divina oracula eis qui opera Alexandrini philosophi legunt non raro occurrant, omnibus fere locis vaticinationes Veteris Testamenti denotantur ita, ut semel quod sciam memoria responsorum Apollinis enitescat. Tamen in pensitando Philonis de Graecis oraculis iudicio ne lubricam ineamus semitam, haud inutile erit

---

[1]) Oracula sub Christi nascentis aetatem defecisse ecclesiasticorum patrum multorum est opinio: velut Clementis Al. *Protrept.* cap. II 11, 1 sq. (vol. I p. 10, 20 sqq. St., quo de loco cf. Buresch *Klaros* p. 40), Eusebii *Praep. ev.* IV 2, 3 p. 133 d et 2, 8 p. 134 d, *ibid.* V 1, 2 p. 178 cd, Hieronymi *Comment. in Isaiam* XII 41 (vol. IV p. 503 b Vallarsi² = col. 418 Migne). Eiusdem rei locupletes testes primo adspectu habere videmur etiam Strabonem (VII 6, 9 p. 327, IX 3, 4 p. 419, XVI 2, 38 p. 762, XVII 1, 43 p. 813) et Ciceronem (*de divin.* I 19, 38 = II 57, 117) et Plutarchum (*de def. orac.* cap. 5 p. 411 e, cap. 7 p. 413 a etc.). Sed omnes hos locos recte interpretatus est Gustavus Wolff *De novissima oraculorum aetate* (Berol. 1854) p. 1 sq. Nam etsi concedendum est (cf. Wolff p. 52) bellorum civilium primorumque imperatorum temporibus oracula parvi habita esse, tamen ad novum florem sub Traiano et Hadriano tantum non omnia provenerunt: ultimum eis finem a Theodosio impositum esse constat.

quid illi de universa divinatione placuerit leviter perstringere.[1])

Regi legumque latori inesse debent cum aliae virtutes tum facultas vaticinandi, ut quae ratione complecti nequeat divina consequatur providentia: *ὧν γὰρ ὁ νοῦς ἀπολείπεται, πρὸς ταῦθ' ἡ προφητεία φθάνει* (*de vit. Mos.* II 6 vol. IV p. 201, 17 sqq. Cohn). In anima enim humana ratio est particula divini intellectus extrinsecus in illam intrantis; a vaticinantibus autem secedit ratio arcemque animae deserit divino spiritu eam occupante: *προφήτης μὲν γάρ,* inquit Philo *de spec. leg.* IV 49 (vol. V p. 219, 22 sqq. C.), *οὐδὲν ἴδιον ἀποφαίνεται τὸ παράπαν, ἀλλ' ἔστιν ἑρμηνεὺς*[2]) *ὑποβάλλοντος ἑτέρου πάνθ' ὅσα προφέρεται, καθ' ὃν χρόνον ἐνθουσιᾷ γεγονὼς ἐν ἀγνοίᾳ, μετανισταμένου μὲν τοῦ λογισμοῦ καὶ παρακεχωρηκότος τὴν τῆς ψυχῆς ἀκρόπολιν, ἐπιπεφοιτηκότος δὲ καὶ ἐνῳκηκότος τοῦ θείου πνεύματος καὶ πᾶσαν τῆς φωνῆς ὀργανοποιΐαν κρούοντός τε καὶ ἐνηχοῦντος εἰς ἐναργῆ δήλωσιν ὧν προθεσπίζει.*[3]) Vates igitur deo imbutus non modo omnium est ignarus, verum ut interpres alius inspirantis e propria animi conscientia nil prodit: Moses *οὐκέτ' ὢν ἐν ἑαυτῷ θεοφορεῖται καὶ θεσπίζει* (*de vit. Mos.* II [III] 250 vol. IV p. 259, 6 sq. C.). Quid? his locis nonnullos quasi igniculos Platonicae doctrinae effulgere num infitiaberis? Ut dubitationis ne tenuissima quidem umbra relin-

---

[1]) In universum cf. Daehne *Gesch. Darstellung d. jüd.-alex. Religionsphilos.* I (1834) p. 387 sqq. adn. 512 et Zeller III 2 [4] p. 464 sq.

[2]) Clarius ait philosophus Iudaeus *de spec. leg.* I 65 (vol. V p. 16, 18 sqq. C.): *ἑρμηνεῖς γάρ εἰσιν οἱ προφῆται θεοῦ καταχρωμένου τοῖς ἐκείνων ὀργάνοις πρὸς δήλωσιν ὧν ἂν ἐθελήσῃ* (similiter *quis rer. div. her.* 259 vol. III p. 59, 13 sqq. Wendland). Quibus locis quod Philo os propheticum nominat instrumentum dei, christiani hanc vocem receperunt: Geffcken *Zwei griech. Apolog.* p. 177.

[3]) Evolvas quomodo Philo *quis rer. div. her.* 69 (vol. III p. 16, 17 sqq. Wdl.) animam alloquatur. Quin etiam ille videtur singula genera vaticinandi distinxisse; huic enim suspicioni favent verba qualia legimus *de vit. Mos.* I 277 (vol. IV p. 185, 20 sq. C.): *vates ἔνθους αὐτίκα γίνεται, προφητικοῦ πνεύματος ἐπιφοιτήσαντος, ὃ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν* ἔντεχνον *μαντικὴν* (cui adscribenda est velut *οἰωνοσκοπία ibid.* I 264 p. 183, 7) *ὑπερόριον τῆς ψυχῆς ἤλασε.* Nec vehementer reluctabor, si Philonem hanc divisionem a Stoicis mutuatum esse suspicaberis.

quatur, exemplum promam quo ad persuadendum aptius aut efficacius nullum cogitari potest. Legimus enim *Ion.* cap. 5 p. 534 b: ⟨*ποιητής ἐστιν*⟩ . . . *οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται καὶ ἔκφρων καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἐνῇ· ἕως δ' ἂν τουτὶ ἔχῃ τὸ κτῆμα, ἀδύνατος πᾶς ποιεῖν ἄνθρωπός ἐστιν καὶ χρησμῳδεῖν.* Ac paulo inferius poetae et vates perinde coniunguntur *ibid.* 534 c d: *ὁ θεὸς ἐξαιρούμενος τούτων τὸν νοῦν τούτοις χρῆται ὑπηρέταις καὶ τοῖς χρησμῳδοῖς καὶ τοῖς μάντεσι τοῖς θείοις, ἵνα ἡμεῖς οἱ ἀκούοντες εἰδῶμεν ὅτι οὐχ οὗτοί εἰσιν οἱ ταῦτα λέγοντες οὕτω πολλοῦ ἄξια, οἷς νοῦς μὴ πάρεστιν, ἀλλ' ὁ θεὸς αὐτός ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τούτων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς.*[1]) Haec verba examussim conspirare cum Philoneis locis supra laudatis quis est quem fugiat?

Eatenus adumbrare necesse erat Philonis de divinatione sententiam. Hinc ianua patet ad spinosiorem de oraculis quaestionem. In libro *περὶ ἀρετῶν καὶ πρεσβείας πρὸς Γάιον* composito (vol. II p. 545 sqq. Mangey) philosophus loquitur de furibunda vecordia illius imperatoris, qui honores maximorum numinum sibi assumere studuit, et scite comparat Gaium sicut cum Mercurio Marteque, ita etiam cum Apolline medico et vate *l. l.* p. 561, 17 sqq.: *λέγεται μὴ μόνον ἰατρός, ἀλλὰ καὶ μάντις ἀγαθὸς Ἀπόλλων εἶναι, χρησμοῖς προλέγων τὰ μέλλοντα πρὸς ὠφέλειαν ἀνθρώπων, ἵνα μή τις ἐπισκιασθεὶς περὶ τὸ ἄδηλον, ἀπροοράτως καθάπερ τυφλός, τοῖς ἀβουλήτοις ὡς λυσιτελεστάτοις ἐπιτρέχων ἐπεμπίπτῃ· προμαθὼν δὲ τὸ μέλλον ὡς ἤδη παρὸν καὶ βλέπων αὐτὸ τῇ διανοίᾳ οὐχ ἧττον ἢ τὰ ἐν χερσὶν ὀφθαλμοῖς σώματος, φυλάττηται, προνοούμενος τοῦ μηδὲν ἀνήκεστον παθεῖν.* His verbis utilitatem sortium complexus Philo responsis Apollineis opponit Gai effata, per quae publicationes, ignominias, exilia suppliciaque proceribus et dynastis ubique gentium praedicta esse affirmat. Verum ne Apollinis quidem oraculis philosophum multum tribuisse mihi videntur ostendere et verbum *λέγεται,* unde initium illius comparationis fit, et tenor totius disputatiunculae. Nam respicienti id agi, ut Apollo impendio Gai

---

[1]) Ceteri loci, quibus Plato vaticinantibus insipientiam vindicat, supra p. 22 adn. 1 allati sunt.

collaudetur, fatendum erit Philonem in laudandis dei responsis se omnino non effundere. Quod consentaneum est: sospitatorem Mosaicae legis, quamvis divinationem defenderet Platonis et Stoicorum vestigia secutus, praeterire non potuit inter vaticinationes Veteris Testamenti et oracula Delphis edita aliquantum interesse.

Ultro a Philone stoicissante oratio nostra ad viciniam recentiorum Porticus sectatorum vagatur. Quorum nemo scholasticam doctamque traditionem arripuit; etenim quae nova exstitit primo p. Chr. n. saeculo philosophia Stoica, a pristino sectae rigore regressa ad eclecticam quandam rationem scientiam adeo non captat, ut eam paene odio persequatur, paucis vero ex antiquo placitorum thesauro sententiis selectis, quas identidem auribus audientium inculcat velut tritissimum illud: *οὐδὲν ἐφ᾽ ἡμῖν εἶναι πλὴν τῆς χρήσεως τῶν φαντασιῶν,* tota inservit reformandis populi moribus.[1] Unde factum est opinor, ut recentiores Stoici, etsi oracula in universum admittunt, tamen de eis non plane consentiant.

Ac Seneca[2] quidem satis habuit bis afferre illam Apollini adscriptam vocem, qua deus quaerentem, quid esset optimum scitu, monuit ut semet ipse nosceret,[3] neque ceteri loci, ubi Seneca verbo oraculi utitur,[4] idoneam praebent ansam diiudicandi. Sed quamquam dilucidum de oraculis dictum Annaeanum non exstat, Senecam iis adversatum esse ideo veri est dissimile, quod varia genera ominum ab eo probantur; sibi enim persuasit fulminibus portendi futura *Natur. quaest.* II 32, 1

---

[1]) Arnim *Stoic. vet. fragm.* I praef. p. XVII.

[2]) Tacitum ambiguitas oraculorum non fugit *Annal.* II 54 extr.: *ferebatur* (sc. sacerdos Clarii Apollinis) *Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse.* Tamen disceptare non audeo, num ille, quippe cui in incerto iudicium sit, *fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur* (*ibid.* VI 22 init.), oraculis omnem derogaverit fidem; cf. Boissier *Tacite* (Paris.[2] 1904) p. 144 sqq.

[3]) *epist.* 94, 28 p. 410, 28 sq. Hense et *dialog.* lib. VI (*ad Marc. de consol.*) cap. 11, 2 p. 165, 3 Hermes.

[4]) *epist.* 108, 26 p. 507, 9; *dialog.* lib. VII (*de vit. beat.*) cap. 26, 7 p. 228, 20; *ibid.* lib. X (*de brevit. vit.*) cap. 2, 2 p. 280, 26; *ibid.* lib. XI (*ad Polyb. de consol.*) cap. 14, 2 p. 330, 15.

(p. 69 sq. Gercke): — *nec unius tantum aut alterius rei signa dant, sed saepe longum fatorum sequentium ordinem nuntiant . . . 5 nullum animal est, quod non motu et occursu suo praedicat aliquid . . . 6 quinque stellarum potestates Chaldaeorum observatio excepit: quid? tu tot illa milia siderum iudicas otiosa lucere?*[1])

M. Annaeo Lucano, qui ut Cornuti discipulus exploratus Stoicus erat, vaticinatio Pythiae videtur (V 95) *totius pars magna Iovis,* quae significatio doctrinam Stoicorum[2]) manifesto sapit, idemque valde miseratur oraculum Delphicum obmutuisse (V 111 sqq.):

— non ullo saecula dono
nostra carent maiore deum, quam Delphica sedes
quod siluit, postquam reges timuere futura
et superos vetuere loqui.[3])

Epictetus Phrygius a vulgaribus de cultu deorum opinionibus longius recedit quam antiquiores Stoici solebant. Summi enim momenti esse putat nos recte de deis sentire et voluntati divinae hilariter laeteque parere,[4]) quod unius sit philosophi. Non *τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν* (quae ad corpus spectant) bona sunt aut mala, contra *ἐν τοῖς ἐφ' ἡμῖν* bonum est ponendum.

Quaenam res vero est illis bonis cum divinatione? Id doceant verba Bonhoefferi[5]): *Die ganze Lehre Epictets von der Stellung, die der Mensch einnehmen soll gegenüber den äußeren*

---

[1]) Deinde cf. *ibid.* II 48, 2 p. 81, 9 sq. G., unde discimus Attalum, magistrum Senecae, eidem disciplinae se dedidisse.

[2]) Haud inutile duco adnotare verba III 272: *Croeso fatalis Halys.*

[3]) Tamen neque hinc neque e Iuvenalis *sat.* VI 555 (*Delphis oracula cessant*) concludendum esse oraculum Delphicum a Nerone exstinctum revera diutius obmutuisse omnibus nervis contendit Pomtow Mus. Rhen. LI (1896) p. 377 sq. adn. 3.

[4]) *diss.* II 16, 42; IV 1, 13 et *Man.* cap. 15; 17; 52. Preces in conspectu mortis fundendae commemorantur *diss.* IV 10, 14 sqq. et III 24, 96—102.

[5]) *Die Ethik des Stoikers Epictet* (1894) p. 44. Praecepta quae ad divinationem pertinent Epictetus breviter complexus est in *Man.* cap. 32 (p. 446 sq. Schenkl), quocum omnino conferenda est et interpretatio Simplicii (p. 109 sqq. ed. Duebner 1840) et *diss.* II 7 quae inscribitur *πῶς μαντευτέον.*

Lebensgütern, spiegelt sich wie in einem Brennpunkt wider in den Vorschriften, die er über den Gebrauch der Mantik gibt. Nam divinationem esse Phrygio adeo persuasum est, ut omnes eius species admittat [1]: quin etiam arbitratur, si quis oraculum sibi datum secutus non sit, eum contra pietatem deis debitam facturum esse. [2] Tria autem praecepta secundum Epicteti doctrinam in vatibus oraculisque consulendis respicienda sunt: 1. ad vatem ne attuleris appetitionem aut declinationem (*ὄρεξιν ἢ ἔκκλισιν*), sed tecum reputa externa esse ea, de quibus sciscitaris. 2. Consule deum de iis tantum rebus, in quibus tota consideratio ad eventum refertur neque ex ratione aut alia quadam arte subsidia suppetunt ad id de quo agitur perspiciendum; nam quae frequentius accidunt, vaticinatione non egere videntur. 3. Quodsi tempus postulaverit, ut periculum pro amico aut pro patria subeas, non licet vatem consulere, sitne illud suscipiendum; recta enim ratio (*ὁ ὀρθὸς λόγος*) praescribet, ut amico opituleris atque una cum patria discrimen adeas. Itaque maiori attendito vati, Pythio qui eum e templo eiecit, qui amico cum interficeretur opem non tulerat. [3] — Ut igitur summam paucis subducam: Epictetus divinationem despectui non habuit; [4] quodsi arbitratus verum vatem esse eum genium, qui in cuiusque mente repositus esset (cf. *diss.* II 7, 3), oracula non adeo defendit ut veteres Stoici, hoc fortasse eo continetur, quod Epictetus nonnullis in rebus ad cynismum inclinabat.

---

[1]) De haruspicina augurioque vide *diss.* I 17, 18 sq. et de insomniis *diss.* II 16, 17.

[2]) *Man.* cap. 32, 2: *θαρρῶν οὖν ὡς ἐπὶ συμβούλους ἔρχου τοὺς θεούς· καὶ λοιπόν, ὅταν τί σοι συμβουλευθῇ, μέμνησο τίνας συμβούλους παρέλαβες καὶ τίνων παρακούσεις ἀπειθήσας.* Praeterea cf. *diss.* II 21, 10 et III 1, 16 sqq., ubi Epictetus exemplo Lai ostendere conatur homines meliora non sequi atque exponit Apollinem, quamquam non ignorasset Laium obtemperaturum non esse, illud oraculum edidisse, quoniam ipse fons veritatis esset.

[3]) Oraculum, quod Epictetus hic (*Man.* cap. 32 extr.) significat, laudant Simplicius (p. 111, 17 sq. D.) et nonnullis mutatis Aelianus *Var. hist.* III 44 (= Hendess n. 186 a).

[4]) Ita enim locos Epicteti perperam interpretatus est Saarmann *Adnotationes ad Oenomai Cynici fragm.* (progr. Dortmund 1889) p. 35 sq. Recte iudicavit Barth *Die Stoa* (1903) p. 56 sq.

Simile iudicium de oraculis tulit Dio Prusaensis, rhetor quidem sed qui imprimis ad Stoicam philosophiam prope accederet. Is illius memor responsi, quod Croeso fugiendum suaserat,[1]) consuluit *κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος τῶν Ἑλλήνων* Apollinem, qui ei dedit hoc oraculum intellectu difficile *αὐτὸ τοῦτο πράττειν ἐν ᾧ* esset; quo facto fugam exsiliumque non veritum se peregrinationem continuavisse et ita philosophi sibi nomen aliquod peperisse (*orat.* XIII 8 sqq. vol. I p. 181 sq. Arnim). Aliis vero orationibus rhetor effata dei Pythici inserit, ut eorum opera quod sibi proposuit gravius reddat ac confirmet.[2]) His deliberatis concedes illum vim oraculorum praefracte negare non potuisse; nihilosetius ea haud ita magni aestimavit. Ut enim omittam Dionem libenter ambiguas sortes citare,[3]) idem infitiatur Apollinem de morbis aut liberis aut frugibus recte respondere (*orat.* XIII 9 vol. I p. 181, 16 sqq. A.). Atque in decima oratione, quae tamen Cynicam doctrinam rationemque sentiendi valde redolet,[4]) rhetor etiam oraculorum de Laio et de Croeso Halyn transgresso editorum mentionem facit, ut demonstret per illa non solum plerosque oraculis uti nescire, sed sapienti vaticinia omnino opus non esse (X 28 vol. I p. 114, 20 sqq. A.): *ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαί σε μηδὲν δεήσεσθαι μαντείας νοῦν ἔχοντα . . . νοῦν δὲ ἔχων γνώσῃ ἀπὸ σεαυτοῦ ὅ τι σοι πρακτέον ἐστὶ καὶ ὅπως.* Quod igitur Dioneum de divinatione iudicium vacillat, monendum est nobis rem esse cum philosopho qui syncretismo indulgens diversas opiniones auctorum ad unam normam redigere non potuit.

Longe aliam sententiam profitetur Aurelius Antoninus, ille imperator stoicissans. Ei persuasum est deos saluti hominum omni ratione consulere per somnia atque oracula *comment.* IX 27 (p. 120, 15 sqq.[2] Stich): *καὶ οἱ θεοὶ δὲ παντοίως αὐτοῖς* (sc. *τοῖς*

---

[1]) Herod. I 55 (= Hendess n. 97, cf. supra p. 24 adn. 1).

[2]) *orat.* XVII 16 sq. (vol. II p. 248 sq. A.) et *orat.* XXXI 95 sqq. (vol. I p. 247 sq.); sed etiam his locis agitur de tritissimis sortibus.

[3]) Singula imprimis e Herodoto hausta oracula, quae Dio in suam rem convertit, persecutus est P. Hagen *Quaestiones Dioneae* diss. Kil. (1887) p. 30 sqq.

[4]) Hoc singillatim exposuit Helm *Lucian und Menipp* p. 125 cum adn. 3 et 4.

φαύλοις cf. VII 70 p. 95, 13 St.) *βοηθοῦσι, δι' ὀνείρων, διὰ μαντείων, πρὸς ταῦτα μέντοι, πρὸς ἃ ἐκεῖνοι διαφέρονται.* Atque oraculo quodam Alexandri Abonotichitae commotus idem Antoninus duos leones magnificis cum sacrificiis in Istrum conici iussit.[1])

A Pythagora cum lustrationes et expiationes, tum omnem vaticinationem ad daemonas relata esse memorat Alexander Polyhistor apud Diog. Laert. VIII 1, 32.[2]) Hoc si non Pythagorae ipsius — id quod veri dissimile videtur[3]) —, certe tamen recentiorum Pythagoreorum placitum erat. Nam oraculis illos non paulum tribuisse ex iis cognoscitur, quae Iamblichus de origine Pythagorae refert (*de vit. Pyth.* II 5 sqq. p. 9 sq. N.). At, inquies, Iamblichus non inter Neoplatonicos numerandus est? concedam, sed verba Porphyrii indicant[4]) illam narrationem redire ad Apollonium Tyanensem, quem Neopythagorei arbitrabantur exemplar pii deisque gratissimi viri.[5]) Apollonium autem

---

[1]) Luc. *Alex.* cap. 48, ubi etiam oraculum exstat: cf. Buresch *Klaros* p. 67 et Zeller III 2⁴ p. 257 adn. 4. Wolff *de noviss. orac. aet.* p. 12 censet ad M. Aurelium referenda esse quae Pausanias tradiderit VIII 29, 3 sq.: *Ὀρόντην τὸν Σύρων ποταμὸν . . . ἠθέλησαν ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς ἀναπλεῖσθαι ναυσὶν ἐκ θαλάσσης ἐς Ἀντιόχειαν πόλιν.* At cadaver ingens repertum est. *τοῦτον τὸν νεκρὸν ⟨ὁ⟩ ἐν Κλάρῳ θεός, ἀφικομένων ἐπὶ τὸ χρηστήριον τῶν Σύρων, εἶπεν Ὀρόντην εἶναι, γένους δὲ αὐτὸν εἶναι τῶν Ἰνδῶν.* Quod responsum esse verum argumentis demonstrare studet Pausanias, utpote qui multus sit in eventu quem quodvis habuerit oraculum exponendo; Pausaniae enim de oraculis iudicium sibi congruit tanta constantia, ut illis qualibuscumque fidem concedat paene infinitam: nonnulla praebent Krueger *Theologumena Pausaniae* diss. Bonn. (1860) p. 37 sqq. et Gruppe *Griech. Myth. u. Rel.-Gesch.* II p. 1472 adn. 1.

[2]) . . . *εἶς δὲ τούτους γίνεσθαι τούς τε καθαρμοὺς καὶ ἀποτροπιασμοὺς μαντικήν τε πᾶσαν καὶ κληδόνας καὶ τὰ ὅμοια* (cf. Heinze *Xenokrates* p. 110 sq.). — Hic ne illud quidem mihi videtur omittendum esse, quod Alexandro Abonotichitae, quem accepimus Epicureos summo odio prosecutum esse, cum Platonicis, Stoicis, Pythagoreis profunda erat pax: Luc. *Alex.* cap. 25.

[3]) cf. Zeller I 1⁵ p. 456 adn. 3.

[4]) *vit. Pyth.* cap. 2 (p. 18, 8. 12² N.); cf. Rohde Mus. Rhen. XXVII (1872) p. 23 sq.

[5]) Apollonius profitebatur philosophiam Pythagoream, cui plurima theurgiae novitiae inventa illis temporibus affingebantur. — Magnam

oracula amplexatum esse[1]) testatur etiam Philostratus, qui vitam miraculis plenam magi litteris mandavit. Ut primum nonnulla componamus quae fabulam sapiunt, descendisse fertur Apollonius in antrum Trophonii[2]) et librum Pythagorae placitis refertum e specu extulisse. Quodsi idem *ἐπεφοίτησε καὶ τοῖς Ἑλληνικοῖς ἱεροῖς πᾶσι τῷ τε Δωδωναίῳ καὶ τῷ Πυθικῷ καὶ τῷ ἐν Ἄβαις, ἐς Ἀμφιάρεώ τε καὶ Τροφωνίου ἐβάδισε καὶ ἐς τὸ Μουσεῖον τὸ ἐν Ἑλικῶνι ἀνέβη* (Philostr. *l. l.* IV 24 p. 142, 30 sqq. K.), ille magis loca sacra visisse quam oracula consuluisse atque vaticinia petivisse putandus est; neque enim in Helicone monte umquam responsa edebantur neque Abarum oraculum Apollinis aliunde constat usque ad illa tempora duravisse. Iam vero nobis commemoranda est mira quaedam sententia, quam Apollonius coram gymnosophistis Aethiopum dicitur protulisse de oraculis Pythicis: Apollinem, ut magnificentissima donaria Delphis accumulaverit decoris causa, ita philosophus Tyanensis (Philostr. *l. l.* VI 11 p. 222, 16 sqq. K.) persuasum habet *κόσμου ἕνεκα καὶ ἐς μέτρα ἐμβιβάζειν τοὺς χρησμούς. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο ἐπεδείκνυτο, τοιάσδε ἂν ἀποκρίσεις ἐποιεῖτο· δρᾷ τὸ δεῖνα ἢ μὴ δρᾷ, καὶ ἴθι ἢ μὴ ἴθι, καὶ ποιοῦ ξυμμάχους ἢ μὴ ποιοῦ, βραχέα γάρ που ταῦτα, ἢ ὥς φατε ὑμεῖς γυμνά, ὁ δ' ἵνα μεγαλορρήμων τε φαίνοιτο καὶ ἡδίων τοῖς ἐρωτῶσι ποιητικὴν ἡρμόσατο.* Hanc opinionem ne Apollonio ipsi ingeramus, subsequentibus impedimur verbis, quae oraculum tritissimum aperte significant: *καὶ οὐκ ἀξιοῖ* (nimirum Apollo) *εἶναι, ὅ τι μὴ οἶδεν, ἀλλὰ καὶ τὴν ψάμμον εἰδέναι φησίν, ὁπόση,*

---

commentationum de Apollonio agentium silvam enumeravit Gruppe *l. l.* II p. 1484 adn. 7.

[1]) Ne illud quidem silentio praetereundum est, quod Apollonius non solum ab anonymo theosopho, cuius *χρησμοὶ τῶν Ἑλληνικῶν θεῶν* (*Tübinger Theosophie*) a Bureschio *Klaros* p. 95 sqq. editi sunt, summis laudibus effertur (cf. n. 44 p. 108, 10 et Neumanni adnotationes p. 91), sed inter scripta eius Suidas etiam oracula commemorat.

[2]) Philostr. *vit. Apollon.* VIII 19 (vol. I p. 335 sq. ed. Kayser² 1870). Trophonii oraculum, quod Lebadeae apud Boeotos erat, diligenter describunt Pausanias (IX 39, 5 sqq.), qui eo consulendi causa ipse venerat (*ibid.* 39, 14), et Philostratus *l. l.* et Maximus Tyr. *diss.* XIV 2.

ἀριθμήσας αὐτήν, καὶ τὰ τῆς θαλάττης μέτρα ξυνειληφέναι πάντα.[1]) Huc accedit, quod similia legimus apud Plutarchum (cf. *de Pyth. orac.* cap. 24 p. 406 c d).

Plutarchus sacerdotio oraculi Delphici fungebatur.[2]) Quamobrem non mirabimur philosophum Chaeronensem, praesertim cum divinatione multum occuparetur,[3]) compluribus libellis, quibus ipse nomen *Πυθικῶν λόγων* imposuit (*de Ei ap. Delph.* cap. 1 p. 384 e), varias quaestiones ad oracula spectantes persecutum esse: imprimis in duos *περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων* et *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν* dialogos hic accuratius nobis inquirendum est.

In illa ampliore commentatione, quae commune quoddam receptaculum doctrinarum inter se discrepantium est, agitur quibusnam de causis plurima oracula obmutuerint (cap. 5 p. 411 e). Ac primum quidem Didymus, Cynicae sectae philosophus, censet malignitate hominum commotum Apollinem oracula non iam

---

[1]) En locum usitatissimum: testimoniis a Steinio ad Herod. I 47 et ab Hendessio (n. 94) citatis adde Philostr. *vit. sophist.* prooem. (vol. II p. 2, 16); Orac. Sibyll. VIII 361. 373 (p. 165 Geffcken); Max. Tyr. *diss.* IX 1 (p. 31, 34 sq. D.), XVII 6 (p. 66, 50), XIX 3 (p. 75, 29); Basil. *homil.* XXIV 6 (vol. III col. 613 a).

[2]) Huius muneris fit mentio *Quaest. conviv.* VII 2, 2 p. 700 e (*Εὐθύδημον τὸν συνιερέα*) et *An seni ger. sit respubl.* cap. 17 p. 792 f; accedit gravissimus eiusdem libelli locus cap. 20 p. 794 b, quem Sauppe *de amphict. delph. et hier. att.* (index schol. Gott. aest. 1873) p. 12 ita restituit: *τὸ πρόσχημα τῆς Ἀμφικτυονίας ἥν μοι* (codices *σοι*) *διὰ τοῦ βίου παντὸς ἡ πατρὶς ἀνατέθεικε* . . . Denique ad illud sacerdotium videntur quadrare etiam verba Theonis *de Pyth. orac.* cap. 29 p. 409 c: *φιλῶ δὲ τὸν καθηγεμόνα ταύτης τῆς πολιτείας γενόμενον ἡμῖν καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐκφροντίζοντα καὶ παρασκευάζοντα,* si quidem Theo his verbis Plutarchum designavit. Ad Plutarchum enim post alios locum revocavit Hirzel *Der Dialog* II p. 205 adn. 1 fulsitque hanc sententiam tam firmis argumentis, ut corruat argumentatio Schmertoschii (*De Plut. sent. quae ad divin. spectant orig.* p. 24 adn. 2), qui verba Theonis ad imperatorem Hadrianum voluit relata.

[3]) Plutarchus scripsit peculiarem *περὶ μαντείας* commentationem nunc deperditam, cuius exile frustulum Stobaeus servavit *Flor.* LX 10 (= Plut. *Moral.* vol. VII p. 113 ed. Bernard.).

edere (cap. 7 p. 413 a b), quae tamen sententia Lampriae displicet: ab omni probabilitate abhorret, inquit p. 413 c d, deum homines vita et victu et intellegentia muneratum vocem suam eisdem adimere nec consentaneum est providentiam divinam, quae veluti benevola mater nobis consulit, in sola divinatione acceptarum iniuriarum rationem habere. Ne Ammonio quidem oratio Cynici cum ob alia probatur tum ob inconstantiam quam tribuit deo, qui modo aversaretur improbitatem modo admitteret. Nihilominus persuasum habet fieri non posse, quin defectus oraculorum ad deum ipsum referatur (cap. 8 p. 413 e sqq.): neque enim maiorem aut potentiorem esse vim, quae divinationem, si quidem ducatur a deo, abolere possit; sed animadvertendum esse ut universum orbem terrarum ita Graeciam multis seditionibus ac bellis debilitatam penuria hominum laborare. Hanc esse causam, cur Apollo tot oracula reliquerit; nam quorsus prodesse oraculum in eis regionibus situm, ubi interdiu vix unicum invenias pastorem? Non igitur culpam in Apollinem transferendam esse, quoniam divinatio quae reliqua sit omnibus sufficiat. Sed Lamprias negat oracula a deo ipso deleri (cap. 9 p. 414 d sqq.): quemadmodum multis aliis rebus, quae dei hominibus praebeant ac comparent, natura interitum inferat, sic divinandi quoque obscurationes aliunde gigni; etenim qui opinetur Apollinem ipsum in corpora vatum descendere eorumque ore loqui et voce quasi instrumento uti, eum pueriliter et fatue agere.

Iam patrocinium daemonum suscipere orditur Cleombrotus (cap. 10 sqq.), cuius opinio paucis adumbrari potest: neque minutissima quaeque numine deorum administrantur neque omnino neglegunt illi res humanas. Immo inter caeleste et terrenum genus intercedunt daemones, per quos divinae voluntatis interpretes ac ministros hominibus oracula a deis mittuntur (cap. 13 p. 417 a); ergo daemonibus, qui oraculis et vaticiniis praefecti sunt, vel prorsus deficientibus illa quoque intercidunt vel fugientibus aut alio demigrantibus vim suam amittunt (cap. 15 p. 418 d).

Ab ista de divinatione sententia, quam e daemonologia Xenocratis sumptam esse supra vidimus (p. 26), magnopere abhorrent verba Lampriae, qui postquam sermo variis inter-

ruptus dissertationibus cum oraculis non cohaerentibus ad propositum rediit (cap. 38 p. 431 a b), divinationem repetit ab exhalationibus terrae (cap. 39 sqq.).[1]) Haec autem est eius conclusio: si animi a corporibus seiuncti vim quandam divinandi habent, eadem vis in iis animis, qui corporibus continentur, necessario inest; sane praesensio rerum futurarum voluptatibus corporis obscurata raro apparet. Maxime autem haec augurandi facultas efflorescit, si corpus in somnis aut mysteriis purgatur sive tam apte temperatur, ut mens a praesentibus rebus liberata in futuros casus vim imaginandi intendat. Talis temperatio corporis *ἐνθουσιασμός* vocatur. Praeter hanc affectionem animi, quae paritur ex ipso corpore, altera est quae divino quodam anhelitu efficitur. Vires enim aliae perniciosae, aliae salubres insitae sunt terrae, unde divini spiritus in corpus humanum intrantes calore suo *τοὺς πόρους* facultate vaticinandi praeditos reserant. Oracula igitur quanam ratione deficiant, Lamprias sic explanat, ut affirmet vapores divinationi servientes, quippe qui mutationibus obnoxii sint, magnis exstingui imbribus aut fulminibus dissipari maximeque evanescere, cum terrae motibus concussae desidant ac confundantur (cap. 44 p. 434 b c).

Quid? hac argumentatione nonne omnis daemonologia ad irritum redigitur? Etenim si animis hominum facultas vaticinandi iam innata est, eam extrinsecus inferri plane supervacaneum est. Sed Plutarchus illas discrepantias, quas inter utramque opinionem intercedere Ammonius sagaciter detexit (cap. 46 p. 435 a), Lampriam ipsum facit ita submoventem, ut duas doctrinas in unam contrahat (cap. 48 p. 436 f): *οὐ γὰρ ἄθεον ποιοῦμεν οὐδ' ἄλογον τὴν μαντικήν, ὕλην μὲν αὐτῇ τὴν ψυχὴν*

---

[1]) Totam orationem Lampriae scatere verbis et formulis cum Aristotelis tum Dicaearchi scite admonent Schmertosch *l. l.* p. 18 sq. et Hirzel *l. l.* II p. 193 adn. Tamen ut mea fert opinio concedendum est Schmertoschio (*l. l.* p. 19 sqq.) in oratione Lampriae haud pauca inveniri indicia Stoicorum et Plutarchum ibi imaginem Stoicae doctrinae imprimis e Posidonio mutuatum esse, id quod Hirzelio probari non videtur. Etenim supra (p. 40) exposuimus ipsos Stoicos defectum oraculorum ab exstinctis terrae exhalationibus duxisse.

τοῦ ἀνθρώπου τὸ δ' ἐνθουσιαστικὸν πνεῦμα καὶ τὴν ἀναθυμίασιν οἷον ὄργανον ἢ πλῆκτρον ἀποδιδόντες· πρῶτον μὲν γὰρ ἡ γεννήσασα γῆ τὰς ἀναθυμιάσεις ὅ τε πᾶσαν ἐνδιδοὺς κράσεως τῇ γῇ καὶ μεταβολῆς δύναμιν ἥλιος νόμῳ πατέρων θεός ἐστιν ἡμῖν· ἔπειτα δαίμονας ἐπιστάτας καὶ περιπόλους καὶ φύλακας οἷον ἁρμονίας τῆς κράσεως ταύτης τὰ μὲν ἀνιέντας ἐν καιρῷ τὰ δ' ἐπιτείνοντας . . . οὐδὲν ἄλογον ποιεῖν οὐδ' ἀδύνατον δόξομεν. Negari non potest hanc rationem opiniones adeo discordantes inter se conciliandi non modo parum diligentem, sed etiam perversam esse. Qua enim necessitate postulatur ut exhalationibus terrenis, quae divinam animorum vim excitant, daemones tamquam praesides custodesque praeponantur? At in memoriam revocandum est Chaeronensem nihil antiquius habuisse, quam ut religionem scientiae placaret; hoc optime ostendunt quae Plutarchus narratiunculae in *vit. Pericl.* cap. 6 traditae e suo ingenio adiecit.[1]) Itaque si nobiscum reputamus philosophum enixe operam dedisse, ut contrarias res componeret, nonne veri est simillimum ipsis in allatis Lampriae[2]) verbis (cap. 48 p. 436 e sqq.) exstare sententiam Plutarchi? Neque enim Cleombrotum nec Lampriam solum, sed ambos potius agere primas disputationis partes

---

[1]) Plutarchus enim iudicat nihil obstitisse, quominus et Anaxagoras philosophus et Lampo vates scopum attingerent, cum alter causam, alter finem recte prospiceret; nam philosopho propositum fuisse perscrutari, quemadmodum illud esset factum, vati autem praedicere, cur ita exstitisset atque quid significaret. Qui vero causa rei inventa portentum aboleri putent, eos non intellegere una cum divinis signis se artificiosa quoque indicia tollere. Consimiliter Lamprias (*de def. orac.* cap. 48 p. 436 e) vituperat et theologos, qui causis rerum neglectis deo soli animum advertant, et physicos, qui divinitatem aspernati omnia corporibus et naturalibus principiis tribuant: *ὅθεν ἀμφοτέροις ὁ λόγος ἐνδεὴς τοῦ προσήκοντός ἐστι, τοῖς μὲν τὸ δι' οὗ καὶ ὑφ' οὗ, τοῖς δὲ τὸ ἐξ ὧν καὶ δι' ὧν ἀγνοοῦσιν ἢ παραλείπουσιν.* Concinne Plutarcheam cogitandi rationem Gruppe *l. l.* II p. 1472 adn. 1 redegit in hanc formam: *Die Orakel sind natürlich zu erklären, aber doch zugleich bedeutsam.*

[2]) Interpretatio qua Eisele (Arch. f. Gesch. d. Philos. XVII 1904 p. 46 sqq.) usus est sagaciorem philosophandi rationem Plutarcho subicere mihi videtur.

ambosque personam Plutarchi gerere inde quoque potest concludi, quod clausula orationis Lampriae omnibus manifesto probatur.[1])

Ab illa *de def. orac.* commentatione alter dialogus, cui nomen est *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν,*[2]) primo obtutu mire dissonare videtur. Hic enim daemones oraculis adeo non praeponuntur, ut toto libello ne unum quidem verbum de illis geniis invenias; Apollo potius tamquam instrumento utitur Pythia a se inspirata. Sed videbimus argumentum huius dialogi multo latius exspatiari, quam ut tam simpliciter delineari possit.

Rogantibus, cur Pythia desierit heroico aliisque versibus oracula edere, inimici eorum respondent aut Pythiam non iam accedere ad locum, in quo numen sit aut spiritum prorsus exstinctum esse atque vim defecisse (cap. 17 p. 402 b c). Tale responsum autem aperte repugnat deo nec providentia aut numen ipsum una cum divinatione tolli debent, verum quae adversari videntur ita solvenda sunt, ut pia et antiquitus accepta fides non prodatur (cap. 18 p. 402 e). His difficultatibus mederi conatur Theo,[3]) cui Plutarchum in hoc dialogo suam sententiam tacite substituisse in propatulo est: pristinis quoque temporibus multa oracula oratione soluta edita sunt eaque de rebus haud levibus (cap. 19 p. 403 a b); quin etiam Theopompus, qui vehementer reprehendit tum negantes Pythiam responsa

---

[1]) Itaque supersedere potuit Plutarchus in extremo dialogo profiteri, quid ipse sentiret; cf. Hirzel *l. l.* II p. 192 sqq.

[2]) Assentior eis qui putant hunc libellum a Plutarcho sene compositum esse; nam etsi verba Theonis (cap. 29 p. 409 b c) non ad Hadrianum, sed ad ipsum Chaeronensem philosophum referenda esse supra statuimus, tamen Hirzelio (*l. l.* II p. 204 sq.) contigit, ut aliis de causis illum dialogum Plutarcho seni tribueret.

[3]) Hunc Theonem esse personam a Plutarcho fictam suspicatur Schmertosch *l. l.* p. 24 adn. 2. Sed optimo iure Hirzel (*l. l.* II p. 207 adn. 1) contendit tali coniecturae id obstare, quod Plutarchus Theonem cum omnibus veris personis composuerit: cf. cap. 29 p. 409 c. Schmertoschii suspicio eo mirabilior mihi videtur, quod ipse censet Petraeum, cuius ibi mentio inicitur, haud dubie eum esse, qui praemiis ludorum Pythiorum distribuendis praefectus Plutarchum sodalem convivio exceperit: *Quaest. conviv.* V 2 p. 674 f.

versibus includere, suam demonstraturus opinionem admodum pauca exempla afferre potuit, quia nimirum plurima oracula iam illis temporibus non devincto sermone fundi solebant (p. 403 f.).[1]) Huc accedit quod altera ex parte nonnulla responsa hodieque redduntur carmine.[2]) Sed Apollo sive soluta sive numeris adstricta oratione effata sua cecinit, neutrum a ratione alienum est, modo rectas et puras de deo opiniones habeamus nec putemus Apollinem esse ipsum, qui olim responsa composuerit et nunc Pythiae oracula i. e. singula verba subiciat[3]) quasi per larvam loquens (cap. 20 p. 303 f et p. 404 a b). Deinde sicut corpus instrumentis utitur multis, corpore autem eiusque membris animus qui est instrumentum dei, ita Apollo ad audiendum usurpat Pythiam; nam ille quidem ostendit et prodit cogitata sua, sed ostendit per corpus mortale et animam quietis

---

[1]) Ps.-Demosthenis oratio *contr. Macart.* XLIII 66 exhibet vetustum huiusmodi oraculum, quod videtur ad verbum citatum esse. Deinde constat Cicerone testante (*de divin.* II 56, 116) Pyrrhi temporibus iam Apollinem versus facere desiisse. Huc revocandum est denique oraculum Cyzicenis editum quod publicavit Homolle Bull. hell. IV (1880) p. 471 sqq.

[2]) Hoc comprobatur oraculo nuper invento, quod altero p. Chr. n. saeculo editum esse Lollingio assentitur Kern Athen. Mitt. XVIII (1893) p. 198.

[3]) Eodem spectant verba Theonis nostri cap. 7 p. 397 c: *οὐ γάρ ἐστι θεοῦ ἡ γῆρυς οὐδ' ὁ φθόγγος οὐδ' ἡ λέξις οὐδὲ τὸ μέτρον ἀλλὰ τῆς γυναικός· ἐκεῖνος δὲ μόνας τὰς φαντασίας παρίστησι καὶ φῶς ἐν τῇ ψυχῇ ποιεῖ πρὸς τὸ μέλλον.* Apertis igitur verbis docetur cogitationes dei a Pythia pronuntiari, non docetur Apollinem ipsum loqui, id quod e duobus his locis perperam conclusit Schmertosch *l. l.* p. 1 sq. Quae cum ita sint, verbis allatis ne illud quidem repugnat quod Lamprias *de def. orac.* cap. 9 p. 414 e affirmat: *εὔηθες γάρ ἐστι καὶ παιδικὸν κομιδῇ τὸ οἴεσθαι τὸν θεὸν αὐτὸν ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους* (cf. Oenom. ap. Euseb. *Praep. ev.* V 25, 4 p. 219 c) *. . . ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι, τοῖς ἐκείνων στόμασι καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις.* Hic igitur manifesto nihil aliud negatur nisi Apollinem in corpora vatum descendere eorumque organis vocis uti (quod constat Philoni placuisse: supra p. 53 adn. 2), non negatur deum cogitationes suas Pythiae extrinsecus suggerere; cf. Hirzel *l. l.* II p. 195 adn. 2, ubi alterum additur argumentum.

non capacem neque idoneam, quae moventi immobilem aut sibi constantem se praebeat. Divinus igitur instinctus, quem vocant *ἐνθουσιασμόν,* mixtus esse videtur e duabus motionibus, quarum altera extrinsecus fit, altera in natura animi posita est. Quando autem corporibus animae expertibus suoque in statu permanentibus vim inferri non licet contra eorum indolem, animum motu suo se cientem et impetu rationeque praeditum multo minus aliter usurpare possis ac secundum vim ei insitam. Itaque ut mens musicae exsors non musice movebitur, sic homo illiteratus carminumque rudis versus componere nequit (cap. 21 p. 404 b sqq.). Quid mirum igitur, si ea quae deo nunc servit Pythia, etsi pudice vitam agit, incondita et simplicia responsa edit, quippe quae in domo pauperum rusticorum educata nullam artem didicerit (cap. 22 p. 405 c).

Quod vero ad antiqua tempora attinet, sacerdotes etiam tum, sicut diximus, haud pauca oracula soluta oratione pronuntiaverunt. Deinde illa aetas corporum naturas ad poesim procliviores tulit: non modo astrologi et philosophi versibus utebantur, sed libri et convivia quoque amatoriis cantilenis repleta erant (cap. 23 p. 405 d e). Quare tum Apollo ne vaticinationes quidem elegantia aut lepore privare voluit, Musas potius ad tripodem suum adduxit. Sed postquam omnibus rebus mutatis historia a carmine tamquam vehiculo descendit et philosophia sermonem numeris devinctum exuit, Apollo etiam oracula a versibus obscurisque vocibus liberavit (cap. 24 p. 406 c sqq.). Summa autem infamia poesim affecerunt circumforanei isti circulatores et scurrae: horum alii ex tempore alii sorte ex quibusdam libellis oracula mulierculis et servis edebant, qui numeris et poeticis nominibus maxime commoverentur. Quae non minima fuit causa, cur poesis, quae falsis vatibus videretur tamquam communem se praebere, veritate atque tripode arceretur (cap. 25 p. 407 c). Accedebant tunc aliae rationes, quibus interdum amphibolia et obscuritas carminum commendabatur. Neque enim privati de emendo mancipio aut de artificio aliquo deum consulebant, sed civitates admodum potentes, reges tyrannique de rebus publicis sciscitabantur: hos tamen responsis voluntati interrogantium adversis irritare eis, qui oraculum procurabant,

nullam utilitatem afferre potuit. Illis igitur Apollo fundebat suspiciosa verba et ambigua, quorum sententia ceteris ignota consulentes non fugeret si animum adverterent (cap. 26 p. 407 c sqq.). Insuper voces numeris illigatae facilius memoria servantur; antiquis vero firmitas memoriae opus erat: multae enim notae locorum, occasiones agendi, sacra numinum transmarinorum, heroum sedes occultae difficilesque inventu longe a Graecia discedentibus indicabantur (cap. 27 p. 407 f). Nunc autem, cum bellis finitis homines placidissima pace fruuntur, oracula non iam de arcanis aut arduis, sed de vilibus et vulgaribus rebus interrogantur.[1] Quae cum ita sint, ambitiosi fuerit sophistae in quaestionibus breve responsum postulantibus numeros adhibere, verborum ambages fingere aut vocibus uti obsoletis (cap. 28 p. 408 b c). Proinde homines sapientiori consilio dei cedant. Pythia enim usque ad hunc diem nullius erroris convicta est, innumeris potius donariis Delphos opplevit atque Apollo e squalore et paupertate prioris aetatis ipse oraculum ad tantum splendorem honoremque evexit (cap. 29 p. 408 f sqq.). Verum ut olim fuerant qui deo Pythico sive ambigua sive obscura responsa opprobrio darent, ita ne hodie quidem desunt qui Apollinem de nimia oraculorum simplicitate accusent. Hi quando causam satis idoneam commutationis non acceperunt, abeunt deo culpam imputantes,[2] cum sua ratione cogitationem dei assequi nequeant (cap. 30 p. 409 c d).

Quaerendum est, quatenus iste *de Pyth. orac.* libellus quid Plutarchus ipse statuerit legentibus prodat. Schmertoschio persuasum est (*l. l.* p. 27) ibi puram et planam sententiam philosophi exstare. Sed rationes, quibus ille opinionem suam fulsit, mihi

---

[1]) Huiusmodi interrogationes erant: *εἰ γαμητέον, εἰ πλευστέον, εἰ δανειστέον* aut *φορᾶς καρπῶν πέρι καὶ βοτῶν ἐπιγονῆς καὶ σωμάτων ὑγιείας.* Similia suppeditat Plutarchus *de Ei ap. Delph.* cap. 5 p. 386 c et *de def. orac.* cap. 7 p. 413 b, quibus locis praeter alios adde etiam Porphyr. *de abstin.* II 52 (p. 178, 5 sqq. N.) et Simpl. *in enchir. Epict.* cap. 32 (p. 109, 27 D.). De universa hac quaestione breviter agit Hiller de Gaertringen apud Pauly-Wissowa IV 2 col. 2534.

[2]) Conferas quae Dio Prus. facit Diogenem loquentem *orat.* X 27 (vol. I p. 114, 17 sq. A.): *χρῆσθαι τῷ θεῷ ἀδύνατοι ὄντες, ἔπειτα ἐπιχειροῦντες, οὐχ αὑτούς, ἀλλ' ἐκεῖνον αἰτιῶνται.*

videntur parum exploratae esse: quod enim affirmavit Plutarchum hic suae aetatis condicionem ubique respicere, idem fit in altero *de def. orac.* dialogo,[1]) in quo ceterum paterna religio non minus defenditur quam alibi. Deinde etsi fatendum est Theonem imprimis rhetorica dicendi ubertate disputare, tamen nonnullas eius sententias ad Dicaearchum redire Hirzelius demonstravit (*l. l.* II p. 209 sqq. adn.). Nulla autem re pravitas ratiocinationis, qua Schmertosch usus est, melius illustratur quam tali exemplo: inde quod in dialogo *de Pyth. orac.* daemones non commemorantur, conclusit (p. 27 sq.) totam daemonologiam, quam permultum in scriptis Plutarchi valere[2]) ipse concedit, ab illo abiudicandam esse. Schmertoschium igitur omnino fugit in eundem errorem, quem Zellero aliisque crimini dedit, se delapsum esse; nam quamquam recte intellexit (p. 1) Plutarchum, cum multiplices philosophandi rationes accipere soleret, noluisse semper eadem docere, tamen ipse quoque in eo peccavit, quod daemonibus e disciplina illius philosophi expulsis telam Plutarcheae doctrinae quasi uno filo contextam restituere conatus est. Hoc videtur eo mirabilius, quoniam Theonis oratio daemonologiae prorsus non repugnat neque eam eximit, sed spatium potius geniis relinquit.

Pythici dialogi ergo nobis ostendunt Chaeronensem philosophum, qui etiam historicis libris sescenta oracula inseruit,[3]) quaestiones cum illis coniunctas in diversas partes tractavisse, neque infitiandum est hoc genus disserendi Plutarcheum nullam fere cognationem habere cum communibus locis aut usitatissimis argumentationibus ceterorum philosophorum, imprimis Stoicorum[4]) in quos constat Plutarchum, etsi nonnulla ut vidimus ab iis delibavit, vel peculiaribus libellis acriter insectatum esse.[5])

---

[1]) Vide e. g. cap. 44 p. 434c et cap. 51 p. 438 ab.

[2]) De daemonologia Plutarchea recte iudicavit Fridericus Bock *Untersuchungen zu Plutarchs Schrift περὶ τοῦ Σωκράτους δαιμονίου* diss. Monac. 1910 p. 49 sqq.

[3]) cf. indicem editionis Didotianae vol. V p. 342.

[4]) Nam illam *περὶ εἱμαρμένης* dissertatiunculam stoicissantem Plutarcho vindicandam esse Gercke Mus. Rhen. XLI (1886) p. 269 non sine gravissimis causis negavit.

[5]) Volkmann *Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea* (1869) II p. 27 sqq.

Denique ad calcem huius partis progressi memorabilem sententiam in conspectu ponamus: in commentatione *de ser. num. vind.* conscripta senex (cf. Hirzel *l. l.* II p. 217) philosophus eam profert opinionem, qualem Neoplatonici demum excoluerunt, his verbis cap. 17 p. 560 c d: *σκόπει τουτονὶ τὸν ἐνταυθοῖ τὸν ἡμέτερον* (sc. *θεόν* = Apollinem), *εἴ σοι δοκεῖ, τὰς ψυχὰς τῶν τελευτώντων ἀπολλυμένας ἐπιστάμενος εὐθύς, ὥσπερ ὁμίχλας ἢ καπνοὺς ἀποπνεούσας τῶν σωμάτων, ἱλασμούς τε πολλοὺς προσφέρειν τῶν κατοιχομένων καὶ γέρα μεγάλα καὶ τιμὰς ἀπαιτεῖν τοῖς τεθνηκόσιν* . . . Ad hunc locum adnotavit Volkmann *l. l.* II p. 290 adn.: *Wir begegnen hier — so viel ich weiß zum ersten Male — dem Gedanken, den späterhin Porphyrius in der Schrift περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας des weiteren ausgeführt hat, daß in den Orakeln positive Offenbarungen über göttliche Dinge und religiöse Dogmen zu finden sind.*

Luculenter ostendit Wendland[1]) a Plutarcho in dialogo *de Pyth. orac.* composito nonnulla eorum criminum refutari, quae in ipsum Apollinem iecit Oenomaus Gadarenus.[2]) Hic enim Cynicus, qui altero p. Chr. n. saeculo viguit,[3]) Apollinis Clarii responsis deceptus oracula vehementissime aggressus est libello, qui inscriptus erat *γοήτων φώρα.*[4]) Eusebius autem, cui amplas

---

[1]) Berl. philol. Wochenschr. 1887 col. 1271 sq. (cf. etiam Helm *Lucian und Menipp* p. 126 adn. 1). Sane de una re Wendlandium erravisse vidit iam Schmertosch *l. l.* p. 26; neque enim Plutarchus ut Oenomaus apud Eusebium (*Praep. ev.* V 29, 1–5 p. 224 c sqq.) aequales suos, quod de rebus vilissimis deum adeant, vituperat sed magnopere probat: *de Pyth. orac.* cap. 28 p. 408 b.

[2]) *De Oenomao Gadareno* peculiariter egit Theod. Saarmann diss. Tubing. (Lips. 1887), quam Buresch *Klaros* p. 63 sq. haud mediocriter carpsit; idem Saarmannus reliquias Oenomai commentatus est *Adn. ad. Oen. Cyn. fragm.* (progr. Dortmund 1889) p. 25–36.

[3]) Sane de Oenomai temporibus docti non consentiunt: quam tamen quaestionem hic retractari mea quidem sententia supervacaneum est post praeclaras ratiocinationes cum Zelleri III 1 ³ p. 769 adn. 1 tum Bureschii *l. l.* p. 43 sq., p. 63—67, p. 76 sq. Huc adde argumentum Schmertoschii *l. l.* p. 26 adn. 1 et vide denique Helm *l. l.* p. 130 adn. 3.

[4]) Hunc titulum praebent Eusebius (*l. l.* V 18, 6 p. 209 a et 21, 6 p. 213 c; VI 6, 74 p. 254 d) et Theodoretus *de cur. Graec. affect.* VI 8 (p. 151, 19 Raeder); minus diligenter Julianus *orat.* VII p. 271, 8 sq. Hertlein: *ἐν τῇ τοῦ κυνὸς αὐτοφωνίᾳ* (cf. Crusius Mus. Rhen. XLIV 1889

partes illius operis debemus (*Praep. ev.* V 19—36 et VI 7), consilium auctoris ita definit, ut dicat (*ib.* V 21, 6 p. 213 c) Oenomaum cum dicacitate quadam Cynica demonstrare voluisse oracula neque daemonum neque ullius dei esse, sed maleficorum hominum fraudes potius ac versutas argutias, quae ad vulgus in errorem inducendum malitiose comparatae sint. Quam acriter vero Oenomaus totam illam oraculorum vanitatem illudat quantaque vi dictionis bilem ac stomachum in profani numinis caput erumpat,[1]) non intelleges opinor, nisi fragmenta ipsa legeris; sed tritissima quaeque oracula Graecorum a Cynico collecta atque armis a maioribus acceptis impugnata esse apparebit, si singula capita Eusebii[2]) huc spectantia breviter perstrinxerimus.

Ac primum quidem Oenomaus adoritur Apollinem, quod iusserit quotannis mitti septem adulescentes totidemque puellas apud Minoem immolandos (Euseb. *l. l.* V 19, 1—3);[3]) deinde ut deum coarguat, quam multis responsorum ambiguitate necem attulerit, replicat historias Heraclidarum (cap. 20, 1—7)[4]) ac Croesi, qui Halyn transgressus suo exciderit imperio (cap. 21, 1—5)[5]). His expositis Eusebius inducit Cynicum narrantem,

---

p. 309 sqq.) *καὶ τῷ κατὰ τῶν χρηστηρίων*. Iure affirmat Saarmann *de Oen. Gad.* p. 17 non *φωρά*, sed *γοήτων φώρα* (= praestigiatorum investigatio) scribendum esse.

[1]) cf. Hirzel *l. l.* II p. 261.

[2]) Unde Theodoretum constat delibavisse fragmenta Oenomai quae exstant *de cur. Graec. affect.* X 24—39 (p. 249 sqq. R.).

[3]) Oraculum ab Oenomao hic citatum (Hendess n. 21) alii non tradunt, quod tamen nihil aliud est nisi fatalis casus. Verba Oenomai: *καὶ Ὁμήρῳ ἐδόκει* (sc. Minos) *Διὸς μεγάλου εἶναι ὀαριστής* similia sunt Plutarcheis *vit. Thes.* cap. 16: *αὐτὸν* (sc. Minoem) *ὤνησε . . . οὔτε Ὅμηρος ὀαριστὴν Διὸς προσαγορεύσας*. Veri est dissimile igitur Oenomaum ibi e suo ingenio hausisse.

[4]) Oraculum Aristomacho editum, quod solus Oenomaus servavit (Hendess n. 11), a Cynico non integrum esse receptum putat Wolff *De Porphyr. philos. ex orac. haur.* p. 80. Sed utut res se habet, Oenomaus etiam hic videtur loco communi uti; nam idem oraculum significat Maximus Tyrius *diss.* XXXV 7 (p. 139, 27 sqq. D.): *νῦν δὲ τοῖς ἀνθρώποις . . . ὁ Ἀπόλλων λέγει . . . καὶ τὸν στενυγρὸν ἰσθμόν*.

[5]) Habes usitatissimum *τόπον* (Hendess n. 96); plura testimonia collegit Helm *l. l.* p. 124 sq. Alii loci huc pertinentes, qui utrumque fugerunt, infra laudabuntur.

quomodo ipse responsis Apollinis Clarii in fraudem impulsus sit (cap. 22, 1—6 et cap. 23, 1—3)[1]: Oenomaus enim cum deum olim consuluisset, tale accepit responsum, quod antea mercatori cuidam Pontico iam editum erat. Ratus igitur et latronem et militem et amatorem ceterosque sua habere oracula Oenomaus iussit Apollinem valere, qui identidem a se consultus nihil noverit, sed tantum orationis dubiae tenebris conatus sit ignorantiam suam occultare. Hac narratione intermixta Cynicus redarguit vetustissima Delphorum responsa, quaeque a Graecis maxime celebrari solebant: cum Persae bellum inferrent Atheniensibus, hos oraculorum ambiguitate delusos esse; nam deum, qui clientes adiuvare non potuisset, ita fugere iussisse, ut ligneo muro se munirent,[2] atque incensa iam urbe hanc esse unam expediendae salutis rationem dixisse (cap. 24, 1—10). Quodsi Lacedaemoniis Apollo denuntiaverit civitati universae aut obsidionem aut exstincti regis luctum imminere,[3] eiusmodi responsum esse frivolum et risu dignum (cap. 25, 1—8). Postquam deinde oraculum, quod Pythia Cnidiis auxilium petentibus dederat,[4] allatum conviciisque perstrictum est (cap. 26, 1—3), Oenomaus eo procedit, ut demonstrare studeat ab oraculis eos, qui deum consuluissent, in mutua bella concitatos esse; velut Apollinem modo Lacedaemonios tamquam amicos contra Mes-

---

[1]) Has autem paragraphos apud ipsum Oenomaum locum non tenuisse inter Croesi (cap. 21, 1—5) et Atheniensium res (cap. 24, 1—10) indicant verba Eusebii V 23, 4 p. 215c: *ἀλλὰ γὰρ τούτων ὧδε ἐληλεγμένων ὥρα συνιδεῖν αὖθις ἄνωθεν ὅπως τοὺς παλαιτάτους χρησμοὺς τοὺς ἐν Δελφοῖς ὁ αὐτὸς ἀπελέγχει.* Nam ab omni probabilitate abhorret scriptorem media inter oracula antiquissimae historiae (quae usque ad cap. 28 pertinent) inseruisse quod ipse vidit atque audivit; immo Saarmann *Adn. ad Oen. Cyn. fragm.* p. 28 recte affirmavit illam dispositionem ad Eusebium redire.

[2]) cf. Hendess n. 111 et 112; testimoniis ad n. 112 collectis adde Philostr. *vit. soph.* prooem. vol. II p. 2, 18 Kays.[2], Max. Tyr. *diss.* XIX 1 et XXXV 7, Ammon. *de interpret.* cap. 9 (Comment. in Aristot. Gr. IV 5 p. 135, 3 sq. Busse).

[3]) Hendess n. 109: responsum exstat apud Herod. VII 220 (= Anthol. Pal. XIV 96). Tamen Oenomaus vix putandus est oracula ex ipso Herodoto hausisse: cf. infra p. 73 adn. 3.

[4]) Oraculum invenies apud Herod. I 174 (= Anthol. Pal. XIV 81).

senios exstimulavisse,[1]) modo adversus Lacedaemonios Messeniis[2]) victoriam pollicitum esse (cap. 27, 1—5). Nec dubitat auctor affirmare responsum de Lycurgo datum[3]) deo esse indignum (cap. 28, 1—10). Ad extremum[4]) vero Oenomaus haud pauca oracula affert, ut eorum opera ostendat Apollinem de seriis et honestis rebus minime respondere (cap. 29) et in effatis edendis communi humanaque ratione uti (cap. 30), tum illum non modo multa imperite suasisse (cap. 31), sed etiam ad iniuriosorum partes se adiunxisse (cap. 32, 1), deinde vel eos poetas, qui nihil ad studia honestioris vitae contulissent, ex opinione vulgi temere ab Apolline laudatos esse[5]) (cap. 33) eundemque fuisse auctorem, ut pugiles et athletae divinis honoribus afficerentur[6]) (cap. 34, 2—17), denique etiam tyrannis[7]) oracula

---

[1]) Versus *οὔ σε μάχης κτλ.* (Hendess n. 63) tradunt etiam Diodorus VIII 13, 2 et Pausanias IV 12, 1.

[2]) Verba *παρθένον Αἰπυτίδα κτλ.* apud unum Oenomaum exstant; sed idem oraculum iambis compositum servavit Pausanias IV 9, 2: cf. Wolff *l. l.* p. 73 et Hendess p. 12.

[3]) Testimoniis ab Hendessio (n. 51) congestis adde Galen. *Protrept.* cap. 9 (p. 13, 1 sqq. Kaibel) et Max. Tyr. *diss.* XXIX 2 (p. 116, 21 D.). Oenomaum et haec et alia responsa aut ab Ephoro aut a Diodoro libros Ephori compilante mutuatum esse censuit Eduardus Meyer *Forsch. z. alt. Gesch.* I (1892) p. 222 adn. 1; res autem postulat, ut diligentius excutiatur.

[4]) Quod ad cetera oracula ab Oenomao laudata attinet, in universum delego ad Saarmanni adnotationes.

[5]) Oenomaus respicit hic imprimis Archilochum, quem acerbissimis conviciis agitat. Verba (33, 9) *Μουσάων γὰρ ἀπέκτεινε θεράποντα* significant oraculum quod exstat apud Galen. *l. l.* cap. 9 extr. (p. 13, 8 K.); cf. etiam Dion. Pr. *orat.* XXXIII 12 (vol. I p. 300, 22 sqq. A.).

[6]) Uberrima de contemptu athleticae testimonia collegit Norden Fleckeis. annal. suppl. XVIII (1892) p. 298 sqq.; nunc videas Jüthner *Philostratos, Über Gymnastik* (1909) p. 46 sq. Mire quadrant ad hunc et praecedentem Oenomai locum verba Origenis *contr. Cels.* III 25 (vol. I p. 221, 13 sqq. K.), ubi Pythia vituperatur quod Cleomedem athletam et Archilochum, nequissimum poetam, divinis honoribus ornaverit. De Theagene athleta Thasio, quem Callimacheo *περὶ ἀγώνων* libro usus (Lübbert ind. schol. aest. Bonn. 1886 p. 20 sq.) Oenomaus 34, 9 intellegit, loquitur etiam Dio Pr. *orat.* XXXI 95 sqq. (vol. I p. 247 A.).

[7]) Oraculum de Cypselo editum praeter alios affert Dio anonymus *orat.* XXXVII 5 (vol. II p. 18, 5 sqq.).

adulationibus palpari solita esse (cap. 35) atque iussisse inanimam materiam veneratione prosequi (cap. 36, 1—4).

Praeterea autem Eusebius aliud fragmentum Oenomai servavit (*Praep. ev.* VI 7, 1—42 p. 255 sqq.), ubi philosophus versatur in generalioribus de fato liberoque arbitrio quaestionibus,[1]) quippe quae a divinatione et oraculis separari nequeant: quoniam homo voluntatis suae compos sit, necesse esse suas quemque actiones praestare nec fieri posse, ut hae ad fatum revocentur; a Stoicorum potissimum dumetis Oenomaus sententiam defendit liberum arbitrium artissimis vinculis cohaerere cum conscientia sui, iamque supra (p. 38) ostendimus repugnantias Chrysippeae interpretationis illius de Laio oraculi a Cynico inclementer detectas esse (cf. Euseb. *l. l.* VI 7, 22—30).

Quodsi nunc quaerimus, suamne quandam Oenomaus expresserit formam figuramque disputandi, hoc omnino esse negandum docent similes loci, quos singulis exemplis a Cynico allatis subiecimus; et illi de libero arbitrio disputationi Cynicae maximam affinitatem intercedere cum Lucianeo disserendi genere explicavit Bruns (*l. l.*), cuius tamen argumentationem repetere nolo. Quid, quod ne acrimoniam quidem, qua Oenomaus semper Apollinem impugnat ipsumque alloquitur, Cynicus per se invenit; huius rei indicio sint verba Athenagorae *Suppl. pro Christ.* cap. 21 (p. 25, 26 — p. 26, 2 Schwartz): *ὦ μάντι καὶ σοφὲ καὶ προειδὼς τοῖς ἄλλοις τὰ ἐσόμενα, οὐκ ἐμαντεύσω τοῦ ἐρωμένου τὸν φόνον, ἀλλὰ καὶ ἔκτεινας αὐτοχειρὶ τὸν φίλον* . . . Nec vero Oenomaum solum illis temporibus, cum Cynicorum secta denuo florere coepit, oracula maledico dente laceravisse et per se veri simile est et certis testimoniis confirmatur. In Plutarcheo enim *de def. orac.* dialogo Didymus Planetiades, qui personam Cynici ibi fert, quaestione in medium proposita hominibus ita maledicere incipit (cap. 7 p. 413 a): mirandum esse, non quod tum oracula obmutuerint, sed quod non prioribus iam temporibus Hercules aliusve deus tripodem sustulerit; foedissima enim ac maxime impia esse, de quibus homines Apollinem adeant: alii

[1]) Hoc fragmentum fusius tractavit Bruns Mus. Rhen. XLIV (1889) p. 382 sqq.

eum quasi sophistam tentantes alii de thesauris aut hereditatibus incestisve nuptiis scitantes. Ac Pythagoram falso dixisse *βελτίστους ἑαυτῶν γίγνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζωσιν.* Immo quos conveniat affectus coram seniore homine infitiari et tegere, eos aperte deo exponi.[1])

Hanc indignationem Didymi nonnulli recentiores docti cum verbis Oenomai composuerunt,[2]) quam tamen comparationem alteri iure aspernati sunt. Oenomaus enim deum eiusque responsa insectatur, Didymus autem protervitatem hominum vituperat, qui oraculum de pravis rebus consulant; quocirca ille de sophismate Apollinis ipsius loquitur,[3]) cum hic offendat in eo, quia homines deo utantur tamquam sophista (Plut. *l. l.* cap. 7 p. 413 b): *ὡς σοφιστοῦ διάπειραν λαμβάνοντες.* Quodsi Didymus defectum oraculum a pravitate humana duxit, ne ea quidem re vulgarem religionem irridere vult; an putas Lampriam, si ille per iocum dixisset, opinionem eius refutaturum fuisse? Vides ergo Cynicos non omnes uno ordine habendos esse.

Hoc planius cognosces, si detexerimus quid Demonax et Peregrinus de oraculis senserint. Demonax enim, qui ad Cynicorum auctoritatem maxime se conferebat,[4]) Apollinem opinor non minus lacessivit quam illum vatem, quem cum accepta mercede publice divinantem vidisset, inanis artis obiurgavit (Luc. *vit. Dem.* cap. 37). Longe aliter unus e paucis illius

---

[1]) Conferenda sunt cum hac oratione verba Tatiani *adv. Graec.* cap. 19 (p. 21, 14 sqq. Schwartz): *τί γάρ ἐστι μαντική; πολεμεῖν θέλεις καὶ τῶν φόνων λαμβάνεις σύμβουλον τὸν Ἀπόλλω· κόρην ἁρπάσαι θέλεις καὶ τὸ δαιμόνιόν σοι συναγωνίσασθαι προαιρῇ· νοσεῖς διὰ σεαυτὸν καὶ . . . εἶναι θέλεις μετὰ σεαυτοῦ θεούς.*

[2]) Bernays *Lucian und die Kyniker* p. 35, Zeller III 1^3 p. 770 adn. 3 aliique; recte iudicaverunt Hirzel *l. l.* II p. 191 adn. 3 et Helm *l. l.* p. 126 adn. 1.

[3]) Euseb. *l. l.* V 20, 7 p. 211 c. Quin etiam Oenomaus deum nominat sophistam: cap. 25, 1 p. 219 a et cap. 26, 3 p. 220 d; praeterea vide cap. 25, 4: *εἰς Δελφικὰ καὶ Δωδωναῖα σοφιστήρια*, *ibid.* 7: *μηδὲν δὲ ἧττον ἀφώρατον εἶναι τὸ σόφισμα.*

[4]) Fuit autem Cynica institutio Demonactis, licet habitu et victus tenuitate aliquatenus Diogenem aemularetur, Socratis et aliorum philosophorum decretis temperata: cf. Luc. *vit. Dem.* cap. 5.

aetatis, de quibus certiora constant Cynicis oracula aestimavisse recentioribus videbatur — Peregrinus Proteus. Hunc sortibus antiquis, quibus ostenderet fieri non posse quin ipse noctis genius evaderet, usum esse Lucianus (*de mort. Peregr.* cap. 27) tradit et suspicatur (cap. 28) fore, ut ad sepulcrum eius discipuli instituant oraculum. Quae cum ita sint, non defuerunt qui istis testimoniis nixi putarent [1]) Peregrinum reapse oraculis multum contribuisse. Sed veri est similius illum, si quidem vetustas sortes rettulit, his ipsum nullam adiunxisse fidem neque alia causa commotum eas in suam rem vertisse, nisi ut nimbo quasi circumfusus vulgus eo facilius occaecare posset. Idemque consentaneum est cadere in discipulos Peregrini, qui oraculum magistri instituisse narrantur.

Nulli doctrinae addictus erat Lucianus, qui omnes suae aetatis philosophos — non solum Cynicos [2]) — insectabatur utpote philosophorum nomen et habitum, non morum integritatem prae se ferentes. Tamen negare non possumus in libris Luciani multa inveniri, quae cum Cynica sentiendi ratione congruant. Atque in dialogo, cui nomen est *Ζεὺς ἐλεγχόμενος*, Iuppiter censet (cap. 12) deos ob eam certe rem merito honorari, quod vaticinentur singula quae apud Parcam rata sint. Cyniscus autem contra hanc confirmationem deos colendi praedicat, quoniam homo fatum nequeat commutare, scientiam rerum futurarum ne utilem quidem esse, sicut oraculum quod Laius acceperit demonstret (cap. 13). Ad hoc opprobrium Cyniscus ilico addit alterum: deos exponit (cap. 14) ambigua oracula hominibus dare et in medio relinquere, suumne ille qui Halyn

---

[1]) Bernays *l. l.* p. 33 sq. et Saarmann *Adn. ad Oen. Cyn. frgm.* p. 36.

[2]) Bernaysius enim opusculo de Luciano et Cynicis scripto persuadere studet Samosatenum illam sectam infensissime cavillatum esse odiumque in eius assectatores suum ita evomuisse, ut a tenuibus initiis simultatis paulatim in vehementissimas Cynicorum insectationes prorumperet et tamquam caeco quodam furore abreptus veritatem susque deque haberet. Hanc argumentationem Bernaysii praeclare refellit Vahlen ind. lect. hib. Berol. 1882/83 (= *Opusc. Acad.* I p. 181 sqq.).

transierit an Cyri imperium eversurus sit. Festive autem Lucianus Iovem inducit amphiboliam istius responsi eo defensantem, quod Apollo optimo iure suscensuerit Croeso, qui agnina carne et testudine una coctis[1]) deum expertus esset.

Gravissima argumenta *Iovis Confutati* repetivit Lucianus in illo dialogo, qui *Ζεὺς Τραγῳδὸς* inscribitur.[2]) Hic libellus divisus est in duas partes, quarum prior in caelo gesta est, cum altera controversias Timoclis Stoici et Damidis Epicurei describat. In priore autem parte Momus brevissime falsa oracula irridet atque ut eorum vanitatem illustret, etiam oraculi Croeso editi (cap. 20) mentionem facit.[3]) Ac postquam Apollo suasit, ut patronus eloquens adiungeretur Timocli, qui imbecillitate omnia corrumperet et aenigmatis similia proferret (cap. 27), Momus hoc consilium valde sugillat (cap. 28): *ἐπαινέσας τοὺς σαφῶς λέγοντας, εἰ καὶ μὴ πάνυ ποιεῖς αὐτὸς σὺ ἐν τοῖς χρησμοῖς λοξὸς ὢν καὶ γριφώδης καὶ ἐς τὸ μεταίχμιον ἀσφαλῶς ἀπορρίπτων τὰ πολλά, ὡς τοὺς ἀκούοντας ἄλλου δεῖσθαι Πυθίου*[4]) *πρὸς τὴν ἐξήγησιν αὐτῶν.* Apollinis consilio ita irriso Momus deum, quippe qui vatem se praedicet, iubet artem suam ostendere et pronuntiare, uter sophistarum disputando superaturus sit (cap. 30). Cum autem multis causis simulatis quominus id fieri posset Apollo recusaverit, Momus carnes agninas et testudinem, quae ut deum tentaret Croesus olim coxerat, satirice commemorat, quae tamen irrisio iam supra (*Iov. Confut.* cap. 14) nobis occurrit. Tandem Apollo oraculum canere coepit,[5]) quo clarius aut dilu-

---

[1]) Habes tritissimum locum: Herod. I 47 (= Hendess n. 94); cf. Luc. *bis accus.* cap. 1, Max. Tyr. *diss.* XVII 6 (p. 66, 48 sq. D.), XIX 3 (p. 75, 29 sq.), XXXV 7 (p. 139, 27 sq.), Tertull. *Apolog.* cap. 22.

[2]) Quod singillatim post alios exposuit Helm *l. l.* p. 140 sqq.

[3]) Sequens quoque oraculum: *ὦ θείη Σαλαμίς κτλ.* est notissimum (Hendess n. 112, 11).

[4]) Cicero *de divin.* II 56, 115 censet Chrysippeum *περὶ χρησμῶν* librum impletum esse oraculis... *flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa ad sortes referenda sit.* Similia legimus in Eliae *Proleg. philos.* cap. 4 (Comment. in Aristot. Gr. XVIII 1 p. 7, 4 Busse).

[5]) Lucianum hic Aristophaneam oraculi parodiam (*Equit.* vss. 197 sqq.) imitatum esse adnotat Helm *l. l.* p. 137 cum adn. 3.

cidius nullum umquam editum esse Momus cum ironia explicat (cap. 31). Tum venit Hermagoras initium contentionis Timoclis et Damidis nuntians (cap. 33). In hoc certamine Stoicus deos revera esse cum ex aliis rebus tum ex oraculis et praedictionibus futurorum concludit (cap. 43). Quam argumentationem ut refellat, Damis inimicum reducit in memoriam *ἐκείνου ⟨χρησμοῦ⟩ ὃν τῷ Λυδῷ ὁ Πύθιος ἔχρησεν, ὃς ἀκριβῶς ἀμφήκης ἦν καὶ διπρόσωπος, οἷοί εἰσι τῶν Ἑρμῶν ἔνιοι, διττοὶ καὶ ἀμφοτέρωθεν ὅμοιοι, πρὸς ὁπότερον ἂν αὐτῶν μέρος ἐπιστραφῇς. τί γάρ; μᾶλλον ὁ Κροῖσος διαβὰς τὸν Ἅλυν τὴν αὑτοῦ ἀρχὴν ἢ τὴν Κύρου καταλύσει; καίτοι οὐκ ὀλίγων ταλάντων ὁ Σαρδιανὸς ἐκεῖνος ὄλεθρος τὸ ἀμφιδέξιον τοῦτο ἔπος ἐπρίατο.*

Lucianus igitur, quo erat salsi ingenii acumine, gravissimus exstitit osor Apollinis auctoritatem oraculorum perstringens,[1]) cum neque deis utilitati essent ut imperio fati irrevocabilis obstrictis neque hominibus propter nimiam ambiguitatem. Monearis autem Samosatenum nova argumenta non proferre, sed armis antiquitus acceptis digladiari; id miraberis eo minus, quoniam Lucianus in illis dialogis sibi proposuit Stoicos impugnare.[2])
Qua in re alii eum secuti sunt.

Ac primum quidem hic breviter commemorandus est Diogenianus Epicureus,[3]) qui cum de fato condidisset librum nunc deperditum, philosophorum omnium de hac materia exposuit et recensuit doctrinas. In eodem opere divinationem

---

[1]) Ut locos huc pertinentes quam plurimos congeram, affero *Deor. concil.* cap. 12, ubi Momus Apollinem ita alloquitur: *οὐκέτι σύ, ὦ Ἄπολλον, εὐδοκιμεῖς, ἀλλὰ ἤδη πᾶς λίθος καὶ πᾶς βωμὸς χρησμῳδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ καὶ στεφάνους ἔχῃ καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν.* Insuper cf. oraculum Sibyllae subditum *de mort. Peregr.* cap. 29 et *ibid.* cap. 30 Bacidis effatum a Luciano fictum.

[2]) Nam ibi Lucianum non vulgares de diis opiniones, ut Berneys censuit *l. l.* p. 47, sed Stoicorum doctrinam aggressum esse exposuit Bruns Mus. Rhen. XLIV (1889) p. 374 sqq.

[3]) Zeller III 1^3 p. 779 adn. hunc Diogenianum in Peripateticorum numerum recepit, sed Epicureis eum adscribendum esse ostendit Gercke *Chrysippea* p. 701 sq. De patria vel aetate Diogeniani nil constat; fragmenta ab Eusebio servata congessit Gercke *l. l.* p. 748—755.

Stoicorum vehementer aggressus est: Eusebius enim longius fragmentum[1]) memoriae prodidit, ubi adversus ea quae pro fato Chrysippus ex oraculorum praesagio confecerat argumenta Diogenianus ita scribit, ut illum ex oraculis perperam fatum observare coarguat ac Graecorum oracula plerumque mentita esse et admodum raro eventum eis respondisse, postremo non solum perniciosas, sed etiam inutiles eorum praedictiones esse contendat (Euseb. *l. l.* IV 2, 14 p. 136 c d). Nam Oedipodis et Paridis parentes, quamvis utriusque caedem moliti essent ut exitium sibi praenuntiatum declinarent, tamen — ut Chrysippus ipse confiteretur — numquam illius voti compotes fuisse: *οὕτως οὐδὲν ὄφελος οὐδὲ αὐτοῖς τῆς τῶν κακῶν προαγορεύσεώς φησιν εἶναι διὰ τὴν ἐκ τῆς εἱμαρμένης αἰτίαν.* His verbis Chrysippeis Diogenianus apud Eusebium (*l. l.* IV 3, 13 p. 139 b) disputationem terminat.

Copiosius in Stoicam oraculorum interpretationem invehitur A l e x a n d e r A p h r o d i s i e n i s, ille *ἐξηγητὴς* Aristotelicus, qui tamen praeter alia scripta etiam proprium *de fato* libellum composuit.[2]) In hac commentatione ratus divinationem et fatum inter se conciliari non posse Alexander versus de Laio Euripideos affert ac refutat sententiam Stoicorum putantium illud oraculum opus fuisse, ut fatum impleretur, cum alioquin Laius Oedipodem expositurus non fuisset: *εἶτά τις ταῦτα λέγων*, inquit cap. 31 (p. 202, 25 sqq. Br.), *πῶς ἢ σώζει μαντικήν, ἢ περὶ θεῶν εὐσεβεῖς διδάσκει προλήψεις, ἢ χρήσιμόν τι δείκνυσιν ἔχουσαν τὴν*

---

[1]) *Praep. ev.* IV 3, 1—13 p. 136 d sqq. (= frg. 4 G. p. 753 sqq.). Quo arbitro Diogenianus in refutanda divinatione usus sit, indicant ipsius verba *l. l.* IV 3, 6 p. 137 d: *ἀλλὰ περὶ μὲν τοῦ μὴ συνεστάναι τοῦτο, ὃ προειλήφαμεν καλεῖν μαντικήν, ἐν ἄλλοις ἀποδώσομεν πληρέστερον παρατιθέμενοι τὰ Ἐ π ι κ ο ύ ρ ῳ καὶ περὶ τούτου δοκοῦντα.*

[2]) Alexander librum Severo et Antonino Augustis dedicatum (cap. 1 et 39) scribere incipiens pronuntiat (cap. 2) rem sibi non esse cum iis, qui fatum praefracte negent, sed eos se respecturum esse, qui omnia fato fieri contendant; deinde sua doctrina summatim exposita (cap. 3—6) singulas adversariorum sententias describit et aggreditur (cap. 7—38), nimirum Stoicorum, quos tamen nusquam aperte nominat.

μαντικήν; Adde quod alibi [1]) Alexander detegit inconstantiam Stoicorum qui quamquam affirment omnia secundum fatum fieri, tamen res sibi faciendas bene perpendant et consiliarios arcessant oraculis uti non veriti, quasi leges fatales effugere possint. Sed ideone Alexander habendus est adversarius Apollinis? Velim intentis oculis perlegas illum locum, [2]) ubi philosophus monens, ut ipsi res nobis agendas nobiscum reputemus, ita disserit: *ἤδη δὲ περὶ τῶν μειζόνων καὶ χαλεπωτέρων οὐκ ὀκνοῦμεν συμβούλους καὶ τοὺς θεοὺς παρακαλεῖν, ἀξιοῦντες παρ' αὐτῶν μαθεῖν ἢ διὰ χρησμῶν ἢ διὰ συμβούλων ἢ δι' ὀνείρων τινῶν, ὁπότερα χρὴ μᾶλλον ἡμᾶς ἑλέσθαι τῶν ζητουμένων.* Alexandrum vero oracula aspernatum non esse intellegas etiam ex eo, quod priusquam Chrysippeam enarrationem responsi Laio editi aggrediatur, expressis verbis affirmat [3]) vaticinationem aut providentiam divinam a semet adeo non tolli, ut hominibus ne utilitatem quidem auferat, quam inde capere possint.

Iure igitur Alexandrum iam inter patronos divinandi reponimus. Consentaneum est alterum p. Chr. n. saeculum non tot osores Apollinis laturum fuisse, nisi eisdem temporibus oracula laetissime floruissent [4]) ac permulti non solum illis maximam concessissent auctoritatem, sed etiam reliqua divinationis genera strenue defendissent. Ut omittam Artemidorum et Aelium Aristidem, quorum prior Apolline hortatore [5]) quinque libros *Ὀνειροκριτικῶν* consarcinavit, qua collectione auctor desiderio aequalium videtur satisfecisse, et alter insanissimis fidem habebat oraculis Aesculapii per *ἐγκοίμησιν* aegrotis medicamenta

---

[1]) *De anima libri mant.* (Suppl. Aristot. II 1) p. 182, 26 sqq. Bruns (= frg. Chrys. 124 G.).

[2]) *ibid.* p. 183, 30 sqq. Br.

[3]) *de fato* cap. 30/1 (p. 201, 28 sqq. Br.).

[4]) Ipso Antoninorum saeculo oraculum Apollinis Clarii ad summum incrementum pervenisse exponit Buresch *Klaros* p. 39 sq. et p. 66 sq.

[5]) *Onirocr.* II 70 (p. 168, 2 sqq. ed. Hercher 1864): *⟨τὸν Ἀπόλλωνα⟩ ᾧ πειθόμενος ἐγὼ πατρῴῳ ὄντι θεῷ εἰς τήνδε τὴν πραγματείαν παρῆλθον, πολλάκις με προτρεψαμένῳ ... καὶ μονονουχὶ κελεύσαντι ταῦτα συγγράψαι.*

suggerentis[1]): quid arbitramur clarius demonstrare posse Alexandri Abonotichitae qua omnium animos exerceret vim immensam reapse usque ad Italiae fines pertinuisse (Luc. *Alex.* cap. 30), quam quod praefectus Bithyniae Lucianum aliosque sanae mentis homines illum praestigiatorem fraudis convicturos prohibuit id facere (*ibid.* cap. 57)? Quo factum est, ut inter philosophos quoque tum patroni oraculorum exstarent. Ac Plutarcho quantopere causa Apollinis cordi fuerit, supra exposuimus; aliorum sententiae huc quadrantes iam sequantur.

Annis fere 177/8 p. Chr. n. Celsus Platonicus[2]) contra Christianos composuit librum cui titulus erat *Ἀληθὴς λόγος* nunc deperditum. Sed feliciter accidit, quod Origines summas doctrinas Celsi planis verbis indicavit singulaque placita refellere studuit, ut consilium eius perspicue cognoscamus; quoniam praeterea adversarium sine dolo exscripsit neque illum aut se

---

[1]) Aristidis orationes sacrae (vol. II p. 376 sqq. Keil) somniis quae incubantes in Pergamenio templo Aesculapii viderunt adeo scatent, ut satis habeam unum omnium instar exemplum afferre: *orat. sacr.* I 78 (vol. II p. 394, 13 sqq. K.).

[2]) Origenes semel atque iterum haesitat, utrum adversarius suus sit Platonicus an Epicureus: cf. Geffcken *Zwei griech. Apolog.* p. 262. Inter recentiores autem magna est dissensio, num is Celsus, contra quem Origenes scripsit, idem fuerit atque ille, cui Lucianus *Pseudomantin* dedicavit: Celsos Origenis et Luciani omnino non diversas esse personas defendunt Keim *Celsus' wahres Wort* (Turici 1873) p. 275 sqq. ac Buresch *l. l.* p. 43 adn. 2; cf. etiam Gruppe *Hdb.* V 2 p. 1487 adn. 6. At nonne ex iis verbis, quibus Lucianus saturam conclusit cap. 61: *ταῦτα ... γράψαι ἠξίωσα καὶ σοὶ μὲν χαριζόμενος ἀνδρὶ ἑταίρῳ καὶ φίλῳ ... τὸ πλέον δέ, ὅπερ καὶ σοὶ ἥδιον, Ἐπικούρῳ τιμωρῶν, ἀνδρὶ ὡς ἀληθῶς ἱερῷ καὶ θεσπεσίῳ τὴν φύσιν καὶ μόνῳ μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότι καὶ παραδεδωκότι καί ἐλευθερωτῇ τῶν ὁμιλησάντων αὐτῷ γενομένῳ* — nonne inquam ex his verbis necessario elucet etiam Celsum Lucianeum esse admiratorem Epicuri? Atqui nemo Epicureus oracula defendere potuit, quippe quod adversarius Origenis faceret; quare mihi persuasi Celsum Luciani et Celsum Origenis secernendos esse: eandem opinionem etiam aliis de causis amplexati sunt Zeller III 2[4] p. 232 adn. et O. Heine *Über Celsus' ἀληθὴς λόγος.* Philol. Abh. M. Hertz ... dargebracht (1888) p. 197 sqq.

defraudavit, Origenes in restituendo libro optimum se praestat ducem.[1])

Hic Celsus suscepit patrocinium oraculorum; quae a deis inspirata esse confisus Christianos haud mediocriter reprehendit, quod Graecorum sortes pro nihilo habeant, cum eis vaticinia, quae prophetae Iudaeorum ediderint, maximae sint admirationi.[2]) Itaque philosophus inter miracula, unde appareat esse deos, etiam oracula refert, quibus illi futura praedicant et quae demonstrent non solum deos esse, sed eosdem saluti hominum servire, atque sescentas res enumerat, de quibus oracula Graecorum optime merita sint; iste locus, quippe qui gravissimus videatur, necesse est proponatur totus VIII 45 (vol. II p. 259, 22—260,11 K.): *τί δεῖ καταλέγειν ὅσα ἐκ χρηστηρίων τοῦτο μὲν προφῆται καὶ προφήτιδες τοῦτο δὲ ἄλλοι κάτοχοι καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες ἐνθέῳ φωνῇ προεῖπον; ὅσα δὲ ἐξ ἀδύτων αὐτῶν ἠκούσθησαν θαυμάσια; ὅσα δὲ ἐξ ἱερείων καὶ θυμάτων τοῖς χρωμένοις ἐδηλώθη, ὅσα δ' ἐξ ἄλλων τεραστίων συμβόλων; τοῖς δ' ἐναργῆ παρέστη φάσματα. μεστὸς τούτων ὁ πᾶς ἐστι βίος. πόσαι μὲν πόλεις ἐκ χρηστηρίων ὠρθώθησαν καὶ νόσους ἀπέθεντο καὶ λιμούς, πόσαι δ' ἀμελήσασαι τούτων ἢ ἐκλαθόμεναι κακῶς ἐφθάρησαν; πόσαι δ' εἰς ἀποικίαν ἐστάλησαν*[3]) *καὶ μετελθοῦσαι τὰ προσταχθέντα εὐδαιμόνησαν; πόσοι δυνάσται πόσοι δ' ἰδιῶται παρὰ τοῦτο ἄμεινον ἢ χεῖρον ἀπήλλαξαν; πόσοι μὲν ἀπαιδίας δυσφοροῦντες ὧν ἐδεήθησαν σχόντες* [*πόσοι*] *δαιμόνων μῆνιν διέφυγον; πόσοι σωμάτων πηρώσεις ἰάθησαν;*[4]) *πόσοι δ' αὖ πρὸς τοῖς ἱεροῖς ὑβρίσαντες αὐτίκα ἑάλωσαν,*

---

[1]) Celsi opus restituere conatus est Keim in libro supra laudato.

[2]) Orig. *contr. Cels.* VII 3 (vol. II p. 154, 18 sqq. Koetsch.).

[3]) *Quam vero Graecia coloniam,* inquit Cicero *de divin.* I 1, 3, *misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo?* Plut. *de Pyth. orac.* cap. 9 p. 398 e: *ταῖς γε μαντείαις ἐπιμαρτυροῦσι πολλαὶ μὲν ἀναστάσεις καὶ μετοικισμοὶ πόλεων Ἑλληνίδων, πολλαὶ δὲ βαρβαρικῶν στρατιῶν ἐπιφάνειαι καὶ ἀναιρέσεις ἡγεμονιῶν.*

[4]) Minucius Felix facit Caecilium, quem constat partes philosophorum gentilium agere, ita disserentem *Octav.* cap. 7, 6 (p. 10, 19 sqq. Boenig): — *vates futura praecerpunt, dant cautelam periculis, morbis medellam, spem afflictis, opem miseris, solacium calamitatibus, laboribus levamentum.*

οἱ μὲν ἔκφρονες αὐτοῦ ταύτῃ κρατηθέντες οἱ δὲ καὶ ἐξαγγείλαντες ⟨ἃ⟩ ἔδρασαν οἱ δὲ σφᾶς αὐτοὺς διειργασμένοι οἱ δὲ νόσοις ἀνηκέστοις ἐνδεθέντες; ἤδη δὲ καὶ ἐξ αὐτῶν ἀδύτων φωνὴ βαρεῖα καθεῖλέν τινας. Alio autem loco (*ibid.* VIII 48 vol. II p. 263,5 sqq.) Celsus doctrinis Christianorum ea, quae initiatores mysteriorum paganorum dicunt, opponit ratus ab his proferri multa ac manifesta argumenta ducta et ex operibus daemonum et ex oraculorum responsis variisque vaticiniis. Hinc aliud sequitur: Celsus genios esse ita non infitiatur, ut cavendum esse censeat, ne quis daemonibus nimis deditus et rerum humanarum amore captus a melioribus se avertat eorumque obliviscatur: *χρὴ γὰρ ἴσως*, inquit apud Orig. VIII 60 (vol. II p. 276, 14 sqq.), *οὐκ ἀπιστεῖν ἀνδράσι σοφοῖς, οἳ δή φασι διότι τῶν μὲν περιγείων δαιμόνων τὸ πλεῖστον . . . κρεῖττον οὐδὲν δύναιτ᾽ ἂν τοῦ θεραπεῦσαι σῶμα καὶ μέλλουσαν τύχην ἀνθρώπῳ καὶ πόλει προειπεῖν.* Quodsi Celsus oracula ad genios relata voluit, hoc constitit in vulgari de daemonibus sententia illius aetatis; nam consimile iudicium tulerunt — ut taceam de scriptoribus ecclesiae[1]) — etiam Apuleius et Maximus Tyrius.

---

[1]) Tamen res postulat, ut locos gravissimos exscribam. Minucius Felix tritissimo loco Symposii Platonici allato pergit *Octav.* cap. 27 (p. 43, 22 sqq. B.): *Isti igitur impuri spiritus* [*daemones*], *ut ostensum magis ac philosophis* [*et a Platone*], *sub statuis et imaginibus consecratis delitiscunt et afflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirant interim vates . . . oracula efficiunt falsis pluribus involuta* Tertullianus ostendit *Apolog.* cap. 22 opera responsorum Croeso et Pyrrho editorum daemones ambagibus uti idemque *de anim.* cap. 46 extr. copiosius disserit: *de oraculis . . . quid aliud pronuntiabimus quam daemoniacam esse rationem eorum spirituum, qui iam tunc in ipsis hominibus habitaverint vel memorias eorum affectaverint ad omnem malitiae suae scaenam . . .* Huc spectant etiam Origenis verba *contr. Cels.* VIII 54 (vol. II p. 270, 28 sqq. K.): *ἐλέγχομεν τὰς ἐπ᾽ ὀλέθρῳ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων ἐνεργείας αὐτῶν* (sc. *δαιμόνων*), *προφάσει χρησμῶν καὶ θεραπείας σωμάτων καὶ ἄλλων τινῶν χωρίσαι τοῦ θεοῦ βουλομένων τὴν ἐμπεσοῦσαν ψυχήν . . .* Lactantio autem *Divin. inst.* II 16, 1 (vol. I p. 167, 1 sqq. Brandt, cf. *ibid.* II 16, 3 p. 170, 2 sqq.) daemonum inventa esse videntur *astrologia et haruspicina et auguratio et ipsa quae dicuntur oracula et necromantia et ars magica et quidquid praeterea malorum exercent homines vel palam vel occulte.* Denique

Madaurensis rhetor in priore parte eius libelli quem *de deo Socratis* scripsit,[1]) postquam tritissimum illum locum Symposii Platonici commemoravit, munera daemonum his verbis exsequitur cap. 6 (p. 14, 6 sqq. Thomas): *eorum quippe de numero praediti curant singuli, proinde ut est cuique tributa provincia, vel somniis conformandis vel extis fissiculandis vel praepetibus gubernandis vel oscinibus erudiendis vel vatibus inspirandis... ceterisque adeo per quae futura dinoscimus.*[2]) Et in extrema hac parte (cap. 14) Apuleius exponit nonnullos daemones promptis vel occultis, laetioribus vel tristioribus caerimoniis gaudere et omnia ad ritus spectantia pro cuiusque more loci sollemnia et rata esse, ut plerumque somniis et vaticinationibus et oraculis homines comperiant saepenumero indignata numina (= daemones), si quid in sacris socordia vel superbia neglegatur.

Maximus Tyrius, philosophus vel sophista et rhetor qui syncretismo indulgebat Platonicas sententias cum doctrina Stoicorum commiscens,[4]) undevicesima dissertatione (p. 74 sqq. ed. Duebner 1840) de eo agit *εἰ μαντικῆς οὔσης ἔστι τι ἐφ' ἡμῖν*. Summa totius commentationis haec fere est: deus in mundo certam posuit legem, cui omnia pariter obsequuntur.[3]) Nihilominus tali ordine rerum liberum arbitrium hominis non tollitur: verum quid singuli acturi sint quidve omissuri, ab ipsorum potestate pendet, ita tamen ut, quid factum quodque subsecuturum sit, suprema illa lege statuatur. Quam ut explorent, numen futurorum scientiam cum hominibus per artem divinandi

---

similem profert sententiam Eusebius *Praep. ev.* III 17, 5 p. 127 a et *Demonstr. ev.* V prooem. 6 p. 203 c d.

[1]) De hac commentatione cf. Heinze *Xenocrates* p. 117 sq.

[2]) Huc pertinent etiam quae Apuleius exponit *Apolog.* cap. 43 (p. 50, 2 sqq. Helm): *quamquam Platoni credam inter deos atque homines natura et loco medias quasdam divorum potestates intersitas, easque divinationes cunctas et magorum miracula gubernare.* Quam sententiam impugnat Augustinus *de civ. dei* VIII 18.

[3]) cf. Zeller III 2[4] p. 219.

[4]) Istam legem a providentia non diversam Maximus nominat etiam *πεπρωμένην* (cap. 8), sed arbitratur varia nomina, quibus fati necessitas significetur, nihil aliud esse nisi humanae nequitiae praetextum, quo facinorum culpa in fatalem vim conferatur (cap. 9).

communicavit, qua quid sibi faciendum sit ad divinam legem et ipsorum salutem tuendas possint praenoscere.[1]) Sunt autem duo, de quibus mortales divinam praesensionem adeunt: priora ea, quae ab illorum potestate non proficiscuntur, sed fiant necesse est, sicut varii eventus qui in rerum natura accidere solent. Posteriora vero, quae in libero arbitrio hominum posita sunt, praescientia dei eatenus tantum amplectitur, quatenus revocantur ad necessarias suas consequentias; quocirca ne praedicuntur quidem eorum quae ex potestate hominum pendent singula quaeque, sed ea sola quae necessario actiones subsecutura sunt. Hoc ut melius illustret, Maximus profert (cap. 5) Euripideum de Laio oraculum, quod ita interpretatur: Apollo non ignorat intemperanti et vinoso homini consilium se dare ideoque futuram calamitatem praedicit, cuius causam quidem suppeditavit Laius, sed deus unde eventura sit praeviderat. Pariter ne Croeso quidem, Lydorum regi oraculum consulenti, responsum est ipsum Persarum vim eversurum esse, sed quid si Halyn flumen traiecisset necessario esset eventurum.[2]) — Nonne intellegis hanc disputandi rationem omnino non abhorrere ab argumentatione Stoicorum, quippe quorum exempla ibi repetantur?

Aliis autem locis Maximus de oraculis malignius iudicat: adsciscenda est hic imprimis quarta decima dissertatio (p. 51 sqq. D.), qua daemonium Socratis in quaestionem vocatur. Cur miraris, inquit rhetor cap. 1, Socrati adfuisse deum amicum et futuri praescium, nec miraris tamen vulgarem mulierculam Delphicam ceterorumque oraculorum sacerdotes cotidie cum deo familiariter

---

[1]) Hanc partem doctrinae Maximianae fuse tractavit Rohdich *De Maximo Tyrio theologo* diss. Vratisl. 1879 p. 39 sqq. Quae nuperrime Meiser *Studien zu Maximos Tyrios* (Monac. 1909) p. 11 exposuit, neglegi possunt.

[2]) Idem oraculum nobis occurrit etiam *diss.* XI 2 (p. 40, 1 D.). Ac quantopere oracula ad Croesum spectantia Maximo placuerint, inde quoque elucet, quod illud alterum de Croesi lebete et maris spatio et arenarum numero responsum identidem ab eo commemoratur: *diss.* IX 1 (p. 31, 33 sqq.), XVII 6 (p. 66, 48 sqq.), XIX 3 (p. 75, 28 sqq.), XXXV 7 (p. 139, 27 sq.).

uti neque in suis tantum rebus perspectum habere, quid sequendum sit aut fugiendum, sed etiam aliis oracula reddere? an quia fatidica illa antistes tripodi insidet divinoque afflata spiritu responsa edit? aut quia vates ille Ionicus aqua e fontibus hausta et pota res futuras divinat? aut quia Dodonae sacerdotes quercum venerantur eiusque instinctu et discunt futura et aliis dicunt? . . . Id potius mirandum est neminem illa reiecisse ut inepta et absurda (cf. cap. 3). His verbis quod Maximus in oracula vehementius incursare videtur, memineris eum studio commotum esse, ut demonstraret Socratem revera divino praeditum fuisse genio. Ac simile cadit in alterum locum, ubi philosophia impendio oraculorum summis laudibus extollitur (*diss.* XXXV 7 p. 139 D.); nam Maximum hic non ipsa oracula, sed eorum rationem solam impugnare docent verba quae sequuntur: *ἀστασίαστόν μοι χρησμὸν λέγε· τοιαύτης δέομαι μαντικῆς ᾗ πεισθεὶς βιώσομαι ἀσφαλῶς.*[1]) Quid, quod rhetor postquam ambiguitatem responsorum Iovis et Apollinis questus est, aperte confitetur, si oraculum haud dubium sciret, non de Croesi lebete nec de maris spatio aut numero arenarum se deos aditurum esse, sed de natura Iovis (*diss.* XVII 6 p. 66 sq. D.).[2]) Quae cum ita sint, proxime ad veritatem accedemus rati Maximum, etsi oracula non susque deque habuit, tamen haud ita multum eis tribuisse.

Priusquam ad Neoplatonicos veniamus, nobis denique perscrutandum est, quid Chalcidius de oraculis senserit. Hic scriptor, qui ineunte fere quarto p. Chr. n. saeculo commentarium quendam ad Timaeum Platonis compositum ex anonymo fonte

---

[1]) Divinatione homines carere non possunt: *diss.* XIX 9 extr. Daemonum beneficio autem (cf. Rohdich *l. l.* p. 47 et Heinze *l. l.* p. 99 sq.) hominibus contingit ut, si animis piis in caelestia loca evolant, divino lumine illustrati ea, quae antea occulta fuerant, dilucide perspiciant et hunc in modum res futuras praesentiant (cf. *diss.* XIX 6); quot enim praesagiorum genera sunt velut *φῆμαι, οἰωνοί, ὀνείρατα, φωναί, θυσίαι* (*diss.* XIV 7 p. 54, 38 sq.), tot per daemonas fiunt et divinae voluntatis interpretes et vitae humanae custodes.

[2]) Tales quaestiones e sutrina Platonica prodisse suspicatur Geffcken *Zwei griech. Apolog.* p. 268 adn. 2.

Graeco vertit,[1]) Neoplatonicorum philosophiam putandus est nondum novisse.[2]) Verum iam supra explicavimus (p. 38 sq.) Chalcidium, ut Stoicorum placita nonnusquam prodidit, sic etiam enarratione sua oraculi, quod Laius acceperat, doctrinae Chrysippi mirum quantum appropinquare. Etenim illos versus Euripideos postquam Latine laudavit (cap. 153 p. 210, 5 sqq. ed. Wrobel 1876), ita interpretatur, ut dicat penes Laium fuisse, ne sereret: *quod porro insecutum est, iam non in potestate Lai, sed potius in necessitate fatali iuxta meritum praecessionis.* Haec verba si nunc cum iis contuleris, quae modo disseruimus de Maximianis sententiis ad fatum et liberum arbitrium spectantibus, melius opinor intelleges Chalcidium vel eius auctorem ibi vestigia Stoicorum secutum esse. Alterum vero momentum videtur huc accedere: Chalcidius commemorat etiam illud de Croeso oraculum, quod quantum in eiusmodi disputationibus valeat neminem praeteribit secundum ea quae hucusque exposita sunt. Legimus enim in extremo capite 168 (p. 221, 16 sqq. Wr.) divinationem necessitati quidem subiectarum rerum, ambiguarum etiam, sed quarum iam fatalis completus sit exitus, veram esse et complexibilem. Huic vaticinandi generi Chalcidius opponit (cap. 169) divinationem ambiguarum rerum, quarum exitus adhuc pendeant nondum praecedentibus meritis; eam ambiguam esse et obliquam ut ostendat responsum Apollinis: *Perdet Croesus Halyn transgressus maxima regna.* Istic enim tria fuisse ambigua: primum, utrum Cyri et Persarum regnum esset periturum; alterum, an ipsius Croesi potius et Lydium; tertium, utrum condicionibus iustis bellum deponeretur. Sed quia voluntas utriusque regis adversaretur armorum depositioni, superfuisse ex reliquis alterutrum idque fuisse dubium, cuiusnam regnum exstingueretur. Propterea dubiam sortem dubiique intellectus processisse oraculum, *ut quodcumque accidisset, id praedictum ab Apolline videretur.*[3]) His verbis autem aperte

---

[1]) cf. Gercke *Chrysippea* p. 695, cui assentitur Switalski *Des Chalc. Komment. zu Plat. Tim.* (1902) p. 55.

[2]) Kroll apud Pauly-Wissowa III 2 col. 2043, 23.

[3]) Hoc argumentum antiquitus traditum esse ostendunt verba Tulliana *de divin.* II 56, 115 sq.: *cum illa sors edita est opulentissimo*

impedimur, quominus sumamus auctorem Chalcidii illam interpretationem a Stoico fonte mutuatum esse; patet enim eiusmodi rationem disserendi magis convenire adversariis oraculorum. Ac profecto haec argumentatio invenitur in tali operis parte, ubi complura Stoicorum placita censurae subiciuntur.[1])

Sed res fit intricatior: nam in proximo capite 170 (p. 222, 12 sqq. Wr.) affirmat Chalcidius esse alias praedictiones consiliorum examini similes, quia cum sit in nostra potestate deligere ex incertis alterum, ne in delectu peccetur ex ignoratione, propitia divinitas homini suadeat quid sit optandum; ut Argivis quaerentibus, an adversus Persas bellum suscipi conveniret, per oraculum[2]) responsum sit: *Vicinis offensa, deo carissima plebes,* | *Armorum cohibe munimina, corporis omne* | *Discrimen sola capitis tutabitur umbra.* His versibus commentator addit: *sciebat enim, quid esset eligendum quodque optio penes hominem, id vero, quod sequitur optionem, penes fatum.* Nonne haec verba rursus eximiam prae se ferunt affinitatem cum illa enarratione Chrysippea? Habes igitur eandem sententiarum varietatem, qualis etiam in aliis scriptoribus vergentis antiquitatis cernitur; nam consentaneum est eos, qui multiplices philosophandi rationes accipere solent, materiam undique congestam et conglutinatam non semper ad unam regulam normamque dirigere posse. Verum quod gravissimum est: quarto p. Chr. n. saeculo eadem quae vidimus a Stoicis eorumque adversariis identidem tractata esse argumenta repetuntur a Chalcidio.

Atque etiam sub finem illius saeculi Ammianus Mar-

---

regi Asiae (sequitur responsum quod Croesus acceperat), *hostium vim se perversurum putavit, pervertit autem suam.* *Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset.* Eadem impugnandi ratione utuntur christiani osores Apollinis velut Hieronymus *comment. in Isaiam* XII 41 (vol. IV p. 504 a Vallarsi[2] = col. 419 Migne) et Augustinus *de civ. dei* III 17 (vol. I p. 125,6 sqq.[3] Dombart).

[1]) cf. Switalski *l. l.* p. 93 sq.

[2]) Hoc quoque oraculum videtur locus communis esse; nam idem responsum citatur ab Oenomao apud Euseb. *Praep. ev.* VI 7, 4 p. 255 c d.

cellinus, qui divinationi tantam attribuit auctoritatem[1]) ut varias artes futura praenoscendi brevi embolio (XXI 1, 7 sqq.) describeret,[2]) alibi exposuit haec (XXIII 5, 9): *Nam et oracula dubia legimus, quae nonnisi casus discrevere postremi, ut fidem vaticinii Delphici, quae post Halyn flumen transmissum maximum regnum deiecturum praedixerat Croesum, et aliam quae Atheniensibus ad certandum contra Medos oblique destinaverat mare, sortemque his posteriorem veram quidem sed non minus ambiguam: Aio te Aeacida Romanos vincere posse.* Concedo fieri potuisse, ut Ammianus, quippe qui multifariam vestigia Tulliana sequeretur,[3]) primum tertiumque oraculorum modo allatorum e Cicerone (*de divin.* II 56, 115 sq.) hauriret; tamen haud scio an rectius sumamus Ammianum illas sortes ex armamentario rhetorum prompsisse.[4]) Haec opinatio mihi eo magis arridet, quia Cicero secundi quod Athenienses acceperant responsi ibidem nullam mentionem fecit.

Novum de oraculis aedificium composuerunt Neoplatonici. Ac primus quidem Porphyrius adulescens in libris *περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας* compositis, qui Plotinianas sententias nondum redolent, Graecorum sapientiam non ab hominibus inventam aut excogitatam, sed numinum ore praedicatam

---

[1]) Singula invenies apud Witte *Amm. Marc. quid iudicaverit de rebus divinis* diss. Jen. 1891 p. 54 sqq.

[2]) Ammianum hic Stoicorum vestigia secutum ab auctore doxographo hausisse evicit R. von Scala *Doxogr. und stoische Reste bei Amm. Marc.* Festgaben zu Ehren Max Büdinger's (1898) p. 142 sqq.

[3]) cf. Michael *De Amm. Marc. studiis Ciceronianis* diss. Vratisl. 1874 p. 5 sqq.

[4]) Ut cognoscatur etiam rhetores usitatissima quaeque oracula dissertationibus inserere solitos esse, e magno thesauro exemplorum nonnulla afferam: *Rhet. Gr.* ed. Walz vol. IV p. 272, 12 et 16, *ibid.* p. 569, 5 et p. 699, 18 sqq. (cf. Aristot. *art. rhet.* III 5 p. 1407 a 38), vol. V p. 542, 6 sq., vol. VII p. 229, 16 sqq. Quantopere autem posteriores quoque orationes scateant oraculis antiquis, doceat Themistius (ed. G. Dindorf 1832): *orat.* XIX p. 275, 6 sqq. exstat responsum quod accepisse traditur Lycurgus (cf. de eadem sorte *orat.* VII p. 116, 5 sq. et XV p. 237, 24); *orat.* VII p. 116, 14 sqq. significatur responsum Croesi legatis datum (cf. Herod. I 47, Hendess n. 94); effati de Socrate Pythici mentio fit *orat.* II p. 32, 9 sq. et XXIX p. 418, 7 sq.

esse demonstraturus arcanarum rerum scientiam et honestae vitae rationem ex ipsis responsis divinis repetere studuit,[1]) ne animi vetustae religioni adstricti, si Christianam doctrinam caelitus generi humano oblatam esse accepissent, incerti nutarent. Universum autem opus, quod ex Eusebiana potissimum Praeparatione Evangelica restituendum suscepit Gustavus Wolff,[2]) in tres libros divisum erat, quorum primus — si res potiores spectamus — deos eorumque cultum ac sacrificia complexus est, secundus daemones et bonos et infestos, tertius denique heroes, quos philosophus censet fuisse hominum sapientium animas.[3]) Sed quantum a prioribus de oraculis disputationibus distant reliquiae illorum *περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας* librorum! Nam patet oracula a Porphyrio collecta, etsi ad Graecorum deos universe se accomodarunt,[4]) tamen simplicem ac nativam Graecorum cogitationem cum monstruosis placitis ex oriente petitis [5]) commiscuisse atque obscuritate mystica quodammodo corrupisse. Quare ilico qnaerendum est, nonne ista oracula speciem fraudis prae se ferant; ut enim omittam ab antiquis scriptoribus nullum eorum traditum esse, ipsum Porphyrium omnia finxisse insimulat iam Augustinus *de civ. dei* XIX 23, 3 (vol. II p. 395, 23 sqq. D.): *Quis ita stultus est, ut non intellegat aut ab homine callido eoque Christianis inimicissimo haec oracula fuisse conficta aut consilio*

---

[1]) cf. verba Eusebii *Praep. ev.* IV 6, 3 p. 143 a b.

[2]) *Porphyrii de philosophia ex oraculis haurienda librorum reliquiae* (Berol. 1856), ubi p. 38 sqq. de ratione et distributione illius operis fuse agitur.

[3]) In heroum numero Porphyrius rettulit etiam Christum: cf. Kleffner *Porph. der Christenfeind und Neuplatoniker* (1896) p. 83 sqq.

[4]) Secundum locum ab Apolline obtinet Hecate, quae tamen iam Serapidi adiungitur; nam ambos praeesse daemonibus pravis edocet Porphyrius apud Euseb. *l. l.* IV 23, 6 p. 175 b (= Wolff p. 150). Ulterius progreditur syncretismus Chaldaeorum, a quibus pristinam Hecaten cum aliqua vel aliquot deabus orientalibus vivificis consociatam esse exposuit Kroll *De oraculis Chaldaicis* Bresl. philol. Abh. VII 1 (1894) p. 69.

[5]) Velut optimum rerum divinarum auctorem Porphyrius celebrat Ostanem: Euseb. *l. l.* V 14, 1 p. 202 b c (= Wolff p. 138), atque ostendit populos orientales sacrorum peritissimos esse: Euseb. *l. l.* IX 10, 2 sqq. p. 412 d sqq. (= Wolff p. 140 sq.).

simili ab impuris daemonibus ista fuisse responsa ... At mihi quidem dubium non est, quin Porphyrius consulto decipere noluerit.[1]) Nam huiusmodi fallacia omnino pugnaret contra naturam philosophi, quem veracem moribusque integrum fuisse accepimus. Adde quod ipse in prooemio[2]) operis sui deos testatur responsa numinum a se mutata non esse, nisi quod verba corrupta emendaverit, suppleverit si quid excidisse numeris liqueret, denique resecuerit quae ad rem non pertinerent; quod tamen se ita fecisse, ut sententiam servaret integram, magis impietatem veritum, quae exsisteret si deorum opinionem commutare auderet, quam poenas talis sacrilegii. Haec verba mihi gravissima videntur; an affirmationem tam religiosam putamus simulatam? Immo manifestum est eum, qui Antonii Diogenis mendacissimi hominis *τὰ ὑπὲρ Θούλην ἄπιστα* fide non indigna duceret[3]) aliosque libros aperte suppositos, haud difficulter potuisse decipi, praesertim cum multa opera arcanis imbuta iam pridem a deis aut priscis vatibus derivata essent. Quid mirum igitur, si aliorum fraudes Porphyrio imponebant? Sed missam faciamus tandem eam quae de fide oraculorum ibi allatorum est quaestionem, cum multo sit intricatior quam ut hic absolvi queat.

Porphyrio autem responsa Graecorum deorum non sufficiebant, sed idem in suam rem primus convertisse videtur Chaldaica oracula, quae gnosticas sententias cum Platonico-Pythagoreis placitis commixtas hominibus venditabant.[4]) Sed quando

---

[1]) Jacobus Bernays sane in censura libri Wolffiani (nunc *Ges. Abh.* II p. 286 sqq. repetita) Porphyrio mendacium obiecit, quod crimen redarguit iam Buresch *Klaros* p. 51.

[2]) Euseb. *l. l.* IV 7, 1 p. 143 c d (= Wolff p. 109).

[3]) *vit. Pyth.* cap. 10 (p. 21, 21 sq.[2] N.): cf. Rohde *Der griech. Roman*[2] p. 269 sqq. Nihilominus nominatur Porphyrius ab Eusebio *l. l.* V 14, 3 p. 203 a *ὁ γενναῖος Ἑλλήνων φιλόσοφος, ὁ θαυμαστὸς θεολόγος, ὁ τῶν ἀπορρήτων μύστης* et ab Augustino *de civ. dei* XIX 22 (vol. II p. 392, 27 D.) *doctissimus philosophorum.*

[4]) De origine et aetate horum carminum, quorum pristinae partes circa alterius saeculi finem tertiive exordium compositae esse videntur (secus iudicavit Zeller III 2[4] p. 822 adn. 4 extr.), agit Kroll *l. l.* p. 66 sqq.

Chaldaeorum oracula Porphyrio innotuerunt? Certe postquam libros περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας confecit; etenim in his nullum oraculum a Chaldaeis arcessitur, quamquam ibi complures Apollinis vaticinationes exstant, quae Chaldaeos praedicant rerum divinarum peritissimos esse (cf. Wolff p. 140 sq.). Illa igitur carmina Porphyrius in sex *de materia* [1]) libris demum adhibuit, si quidem Wolffius p. 29 iure huc rettulit verba Augustini ita Porphyrium affantis *de civ. dei* X 27 (vol. I p. 443, 31 sqq. D.): *Tu autem hoc didicisti non a Platone, sed a Chaldaeis magistris tuis, ut in aetherias vel empyrias mundi sublimitates et firmamenta caelestia* (στερεώματα) *extolleres vitia humana, ut possent dii vestri theurgis pronuntiare divina* ... et *ibid.* cap. 23 (p. 436, 19 sqq.): *Dicit etiam Porphyrius divinis oraculis fuisse responsum nos non purgari lunae teletis atque solis ... denique eodem dicit oraculo expressum principia* (τὰς ἀρχάς) *posse purgare ... quae autem dicat esse principia tamquam Platonicus, novimus. Dicit enim deum patrem et deum filium, quem Graece appellat paternum intellectum vel paternam mentem.* At hunc πατρικὸν νοῦν non Platonicorum proprium esse, sed Chaldaeorum exposuit Krollius (*l. l.* p. 6). Itaque minus de germanis Porphyrii opinionibus hic agitur quam de Chaldaicis cum Porphyrianis utut conglutinatis. Quae enim Augustinus ibidem de tertio deo inter hos medio, cuius naturam non intellexit, atque de anima mundana post paternum intellectum habitante profert, conveniunt item cum obscuris praeceptis qualia in fragmentis Chaldaicorum oraculorum Krollius detexit (*l. l.* p. 14 sq.).

Porphyrium vero sibi non constitisse, sed incertum haesitasse prodit eius *epistula ad Anebonem* [2]) missa, qua philosophus summis de divina natura dubitationibus aestuat. Quod autem ad oracula numinum Graecorum attinet, Porphyrius etsi concedit (cap. 13) multos homines δι' ἐνθουσιασμοῦ καὶ θεοφορίας

---

[1]) Titulum περὶ ὕλης praebent Suidas s. v. Πορφύριος et Simplicius *in Aristot. Phys.* I 7 (Comment. in Aristot. Gr. XI p. 231, 6 Diels).

[2]) Apud Eusebium et Theodoretum epistula, quam a Thoma Galeo 1678 partim refictam denuo edidit Parthey *Iamblichi de Mysteriis liber* (Berol. 1858) p. XXIX—XLV, plerumque inscribitur *πρὸς Ἀνεβὼ τὸν Αἰγύπτιον.*

praesagire, tamen interrogat cap. 15: *τίς ἐστι καὶ ὁποῖος ὁ τῆς μαντικῆς τρόπος*; vates sane omnes affirmare sese futurorum praesensionem assequi aut per deos aut per daemonas neque futuras res praenosci posse nisi ab iis, qui id in potestate sua habeant. Ipsi sane Porphyrius addit dubium esse, an divinitas eatenus ad hominum ministerium possit deduci, ut per farinam quoque nonnulli vaticinentur. — Quin etiam is philosophus, quem vidimus in illo de materia opere Chaldaica oracula adhibuisse, in commentatione *de regressu animae*[1]) scripta eo processit, ut ista carmina prorsus abiceret veritatem in iis frustra se quaesivisse confessus. Legimus enim apud Augustinum *de civ. dei* X 32 (p. 455, 3 sqq. D.): — *dicit Porphyrius in primo iuxta finem de regressu animae libro nondum receptum in unam quandam sectam, quod universalem contineat viam animae liberandae, vel a philosophia verissima aliqua vel ab Indorum moribus ac disciplina aut inductione Chaldaeorum aut alia qualibet via, nondumque in suam notitiam eandem viam historiali cognitione perlatam* atque his verbis examinatis Augustinus pergit *ibid.* p. 455, 29 sqq.: *et utique se a Chaldaeis oracula divina sumpsisse, quorum assiduam commemorationem facit, tacere non potuit* nimirum in suis de materia libris. Studebant enim ecclesiastici scriptores osorem vehementissimum ita inconstantiae coarguere, ut alium eius librum opera alius refutarent.[2]) Itaque mihi non probatur, quod Krollius (*l. l.* p. 6) Augustini verba modo allata cum iis confudit locis, quos supra (p. 92) ad Porphyrianum de materia opus rettulimus.

Quaeritur nunc, quando Porphyrius coeperit de oraculis dubitare, quando igitur et litteras ad Anebonem et illam de regressu animae disputationem composuerit. Wolffius quidem censuit (*l. l.* p. 27) epistulam esse scriptam non multo priusquam Romam ad Plotinum se conferret; nam secus Porphyrium non ex Anebone, verum e Plotino, qui ipse quoque in Aegypto natus

---

[1]) Wolff *l. l.* p. 30 suspicatur ex his de regressu animae libris *Ἀφορμὰς πρὸς τὰ νοητά* excerptas esse, quam tamen sententiam refutat Mommert, novissimus earum editor (1907), praef. p. XXV adn. 2.

[2]) cf. Geffcken *Zwei griech. Apolog.* p. 310.

esset, doctrinam Aegyptiam quaesiturum fuisse. At hanc vilissimam causam iam Zellerus[1]) refellit, qui e capite 35 illius epistulae conclusit Porphyrio tum philosophiam Plotini notam fuisse. Quid multa? mihi persuasi Porphyrium ipsius Plotini opinionibus adductum esse, ut tales de oraculis scrupulos profiteretur. Nam summus ille philosophus, etsi magica arte vim aliquam in vitam terrestrem exerceri non prorsus infitiatur,[2]) tamen a mysticis sententiis posteriorum Neoplatonicorum adeo vacat,[3]) ut astrologorum superstitionem non minus impugnet (*Enn.* II 3) quam divinationem e sideribus ductam.[4]) Ac quoniam in Plotinianis Enneadibus ne oraculorum quidem vestigia apparent,[5]) non dubito, quin Porphyrius epistulam ad Anebonem et libros de regressu animae iis demum temporibus ediderit, cum Plotini consuetudine iam usus est.

Litteris ad Anebonem datis posteriores sunt certe quattuor *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων* libri.[6]) Porphyrius enim cum ibi nutaverit, an sanguis hostiarum, vapor sacrificiorum, animalium mortuorum corpora deos polluerent et violarent, quia ne sacerdotibus quidem carne vesci liceret (cap. 29), in isto de abst. an. opere non amplius fluctuatur, sed omnia victimarum sacrificia multis respuit argumentis. Quid vero de oraculis hic iudicatur? Supra vidimus (p. 28 sq.) Porphyrium secundo de abst. an. libro quinque

---

[1]) III 2^4 p. 723 adn. 3.

[2]) *Ennead.* IV 3, 13; 4, 26 et 43 sq. cf. Porph. *vit. Plot.* cap. 10.

[3]) De Plotinianis sententiis ad daemonas spectantibus Heinze *Xenokrates* p. 118 ita disserit: *Es ist ein schöner Beweis von der Geistesfreiheit Plotins, wenn er, der rings umgeben war vom krassesten Dämonenglauben der Weisen und Unweisen, sich selbst fast völlig davon ablösen konnte.*

[4]) *Enn.* III 1, 5 sq. IV 4, 30 sqq. cf. Zeller *l. l.* p. 623 sq.

[5]) Krollius sane (apud Pauly-Wissowa III 2 col. 2045) e voce *ὀπισθοβαρής* Plot. *Enn.* VI 9, 4 (vol. II p. 446, 3 ed. H. F. Müller 1878) ∾ *de orac. Chald.* p. 60 (ed. Kr. cum adn. 2) conclusit Plotino fortasse oracula Chaldaica non ignota fuisse; verum ut mea fert sententia argumentum tam levidense ne minimum quidem demonstrat. Unde Schraderus autem *Porphyr. quaest. Homer. rel.* (1880) p. 411 coniecerit etiam Plotinum de oraculis scripsisse, me fugit.

[6]) Quos post mortem Plotini compositos esse ostendit J. Bernays *Theophrastos Schrift über Frömmigkeit* adn. 5 p. 138.

inseruisse excerpta e Theophrasti *περὶ εὐσεβείας* libello prompta et Theophrastum, ut pia mente gaudere deos demonstraret, rettulisse Pythicum de Hermioneo quodam responsum (II 15 p. 144, 18 sqq.² N.). Quam argumentationem ut stabiliorem reddat, philosophus ipse duo annectit oracula illi effato similia, quibus tamen contextus opusculi Theophrastei plane corrumpitur.[1]) Sed idem Porphyrius, qui his aliisque locis secundi de abst. an. libri[2]) responsa Apollinis in suam rem convertit, in eodem libro[3]) affirmat germanum philosophum, qui seiunctus sit a rerum exteriorum commercio, nec daemonas sollicitare nec vaticiniis aut extis animalium egere. Neque eum in vincula matrimonii sese conicere, ut de ista re vatem interpellet, nec mercaturam factitare nec de servitio aut de opum incremento reliquisve vitae humanae ambitionibus consulere. Sed quibus de rebus vir vere philosophus quaesiturus sit,[4]) nullum vatem neque animantium exta certi quicquam aperire; sed illum per se ipsum ad divinitatem veris in visceribus suis collocatam ultro accedere indidemque haurire aeternae vitae praecepta atque precari, ut loco vatis fiat *Διὸς μεγάλου ὀαριστής*. Vides igitur Porphyrium hic oraculis nihil tribuere, cum paulo ante sententiam suam compluribus responsis Pythiae confirmare studuerit. Fateor me frustra conatum esse hunc nodum expedire; nam talis inconstantia[5]) maior videtur quam ut excusari queat Eu-

---

[1]) cf. Bernays *l. l.* p. 68 sq. Idem suspicatur p. 71 Porphyrium ambo oracula mutuatum esse ab Aristomene, Hadriani liberto, qui teste Athenaeo (III 82 p. 115 a b) scripsit *Τὰ πρὸς τὰς ἱερουργίας*. — Lobeckius *Aglaoph.* II p. 1006 illam de Clearcho Arcade et Magnesio quodam narrationem confudit.

[2]) cf. cap. 9 (p. 140, 12 sqq.² N.); cap. 29 (p. 159, 5 sqq.): habes Theophrasteum locum; cap. 59 (p. 183, 21) = *ad Marcell.* cap. 18 (p. 286, 2 sqq.): Apollo sacra *κατὰ τὰ πάτρια* iubet fieri (cf. Geffcken *l. l.* p. 298); praeterea huc spectat III 16 (p. 204, 24 sqq.).

[3]) II 52 (p. 178, 2 sqq.) = Euseb. *Praep. ev.* IV, 19, 2 p. 167 a b.

[4]) Simile quiddam nobis iam occurit apud Maximum Tyrium *diss.* XVII 6 (supra p. 86).

[5]) Concinne naturam Porphyrii Geffcken *l. l.* p. 297 delineavit his verbis: *Er ist ein ganz eigentümliches Gemisch einschneidender, unerbittlicher Kritik und großer Urteilslosigkeit.*

napii [1]) verbis: *πολλὰς γοῦν τοῖς ἤδη προπεπραγματευομένοις βιβλίοις θεωρίας ἐναντίας κατέλιπε, περὶ ὧν οὐκ ἔστιν ἕτερόν τι δοξάζειν ἢ ὅτι προϊὼν ἕτερα ἐδόξασεν.*

Quid, quod Porphyrius ad tantam animi fluctuationem tantamque credulitatem progressus est, ut oraculum a Neoplatonicis apertissime fictum perhiberet verum ac longo instrueret commentario. In vita Plotini enim senex [2]) philosophus haec scribit cap. 22: *εἰ γὰρ δεῖ ταῖς μαρτυρίαις χρῆσθαι ταῖς παρὰ τῶν σοφῶν γεγενημέναις, τίς ἂν εἴη σοφώτερος θεοῦ; καὶ θεοῦ τοῦ ἀληθῶς εἰρηκότος· οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμον τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης | καὶ κωφοῦ ξυνίημι καὶ οὐ λαλέοντος ἀκούω. ὁ γὰρ δὴ Ἀπόλλων ἐρομένου τοῦ Ἀμελίου ποῦ ἡ Πλωτίνου ψυχὴ κεχώρηκεν, ὁ τοσοῦτον εἰπὼν περὶ Σωκράτους· ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος, ἐπάκουσον ὅσα καὶ οἷα περὶ Πλωτίνου ἐθέσπισεν* ... sequuntur unus et quinquaginta versus, quorum priores (usque ad vs. 32) declarant, quid Plotinus corpore circumdatus egerit, et posteriores philosophum e vinculis corporis solutum in concilium deorum receptum esse narrant. At Neoplatonicus quin oraculum excogitaverit, non est dubium; quod cum alia produnt tum Plato et Pythagoras soli ex omnium philosophorum numero elati (vss. 42 sq.). Itaque veri simillimum videtur carmen ab Amelio, Plotini discipulo familiarissimo, confictum esse [3]) et ea quidem forma, ut Apollo loquens induceretur. Quid igitur? num Amelius consulto fallere voluit? Immo hoc ab omni probabilitate abhorret; iure potius censet Geffckenius [4]) Amelium se *Διὸς ὀαριστὴν* putasse illudque oraculum nihil aliud esse nisi titulum quasi litteratum. Porphyrius sane, qua erat credulitate, in suspectis responsi verbis non offendit. Huc accedit quod de insequentibus quoque Neoplatonicis ora-

---

[1]) *vit. Porph.* cap. 21 (p. 457, 53 sqq. ed. Boissonade² 1849).

[2]) Vitam magistri Porphyrium aetate provectum composuisse efficitur ex ipsius verbis *vit. Plot.* cap. 23: *ᾧ* (sc. *τῷ θεῷ*) *δὴ καὶ ἐγὼ Πορφύριος ἅπαξ λέγω πλησιάσαι καὶ ἑνωθῆναι ἔτος ἄγων ἑξηκοστόν τε καὶ ὄγδοον* i. e. anno 299 p. Chr. n.

[3]) Ita iudicavit iam Wolff *De noviss. orac. aet.* p. 9.

[4]) *l. l.* p. 297 adn. 4.

cula Delphica circumferebantur.[1]) Denique autem hic notandum est Porphyrium, priusquam Apollineam de Plotino sortem afferat, duo eiusdem numinis responsa praemittere, quae constat diu multumque a Graecis iactata esse; quare etiam inde cognosces philosophum de divina origine oraculi Ameliani ne minimam quidem dubitationem movisse.

Restat ut paucis perstringamus, quomodo Porphyrius de daemonibus responsa deorum generi humano nuntiantibus cogitaverit. Exponit *de abst. an.* II 38 (p. 167, 20 sqq. N.) in numero bonorum daemonum ponendos esse *καὶ τοὺς πορθμεύοντας, ὥς φησι Πλάτων* (nimirum *Symp.* cap. 23 p. 202 e sqq.), *καὶ διαγγέλλοντας τὰ παρ' ἀνθρώπων θεοῖς καὶ τὰ παρὰ θεῶν ἀνθρώποις, τὰς μὲν παρ' ἡμῶν εὐχὰς ὡς πρὸς δικαστὰς ἀναφέροντας τοὺς θεούς, τὰς δὲ ἐκείνων παραινέσεις καὶ νουθεσίας μετὰ μαντειῶν ἐκφέροντας ἡμῖν.*[2]) Apparet ergo Porphyrium hic digressum non esse a tralaticia veterum opinione.

Summus assecla Porphyrianus erat Iamblichus, cuius tamen librorum exstant paucae reliquiae. Is sicut Stoici[3]) persuasum habet divinationem artissimis vinculis cum deis cohaerere, ut illa ab his separari nequeat.[4]) In perscrutando autem, quomodo vaticinia cum libero arbitrio conciliari possent, studiose versatus[5]) quaestionem sic contorsit, ut affirmaret etiam incerta

---

[1]) David *in Porphyr. isagog.* prooem. cap. 4 (Comment. in Aristot. Gr. XVIII 2 p. 92, 3 sq. Busse): *περὶ ὧν, φημὶ δὴ τοῦ Πορφυρίου καὶ τοῦ Ἰαμβλίχου, εἶπεν ἡ Πυθία 'ἔνθους ὁ Σύρος, πολυμαθὴς ὁ Φοίνιξ'* ...

[2]) Similia profert Porphyrius *l. l.* II 41 (p. 171, 4 sqq.) et II 53 (p. 178, 13 sqq.). De daemonologia Porphyrii egerunt Wolff *Porph. philos. ex orac. haur.* p. 225 sqq. et Heinze *Xenokrates* p. 119 sqq.

[3]) Zeller III 1⁴ p. 347 adn. 3. — Aliud indicium Stoicorum in scriptis Iamblichianis inde lucramur, quod *κοιναὶ ἔννοιαι καὶ δόξαι* in *epistula ad Sopatrum* missa commemorantur: Stob. *ecl.* II 2, 6 (vol. II p. 19, 21 W.).

[4]) *de vit. Pyth.* XXVIII 138 (p. 101, 5 sqq. N.): *μόνη γὰρ αὕτη* (nimirum *μαντική*) *ἑρμηνεία τῆς περὶ τῶν θεῶν διανοίας ἐστί. καὶ ὁμοίως* (sic Kiessling) *δὲ τὴν αὐτῶν* (sc. vaticinantium) *πραγματείαν ἀξίαν του δόξειν ἂν* (sic K.) *εἶναι τῷ οἰομένῳ θεοὺς εἶναι· τοῖς δ' εὐήθειαν θάτερον τούτων* (sc. *οἰομένοις*), *καὶ ἀμφότερα* cf. Zeller III 2⁴ p. 756 adn. 6.

[5]) Ammon. *in libr. de interpret.* cap. 9 (Comment. in Aristot. Gr. IV 5

a deis cognosci *μιᾷ καὶ ὡρισμένῃ καὶ ἀμεταβλήτῳ γνώσει.*[1]) His praemissis non miraberis, quod Iamblichus ne Apollinea quidem oracula neglexit. In *epistula ad Dexippum* missa[2]) philosophus illud Heracliteum de deo Delphico dictum (frg. 93 D.) laudans ab Apolline expressis verbis repetit dialecticam investigationem, cuius opera voces et ancipites et cognominatae diiudicentur atque scrutatores rerum ambiguarum lumen scientiae accendant. Ita Themistoclem lignei muri sententiam recte interpretatum publicae Graecorum salutis haud dubie auctorem fuisse. Ac similia dialecticae opera a deo Branchida indicari his verbis: *οὔτ' ἂν ὠκυπέτης ἰὸς οὔτε λύρη οὔτε νηῦς οὔτ' ἄλλο οὐδὲν ἄνευ ἐπιστημονικῆς χρήσιος γένοιτ' ἄν κοτε ὠφέλιμον.*

Iamblichus autem scripsit etiam *περὶ τῆς Χαλδαϊκῆς τελειοτάτης θεολογίας* libros viginti octo vel plures,[3]) quibus pro more suo magistrum imitatus intemperantia superavit. Cum illis oraculis alteram eum miscuisse traditionem Chaldaicam ex Iuliani vel alterius vel utriusque[4]) scriptis pedestribus petitam suspicatur Krollius (*l. l.* p. 7). Sed Chaldaeorum ne unum quidem oraculum affertur in Porphyrianis aut Iamblichianis quae ad nostram aetatem pervenerunt operibus.

Magna admiratione Iamblichum celebravit imperator Iulianus,[5]) philosophia imprimis Platonica quasi nutritus. Tamen cum praesagiorum sciscitationi nimiae deditus ac superstitiosus magis quam sacrorum legitimus observator esset (cf. Amm. Marc. XXV 4, 17), imperium adeptus nihil antiquius habuit quam ut praefecturam fani Didymaei sortitus (*epist.* 61, 5) alios alio mit-

---

p. 135 sq. Busse) profitetur p. 135, 14 sq. se in hac disputatione sequi *τὴν τοῦ θείου Ἰαμβλίχου ὑφήγησιν.* cf. Zeller *l. l.* p. 740 adn.

[1]) Ammon. *l. l.* p. 136, 3; sed iure adnotat Zeller *l. l.* p. 756 adn. 7 extr.: *Die Hauptfrage, wie dies möglich ist, wie etwas an sich ungewisses mit Sicherheit vorhergewußt werden kann, bleibt unbeantwortet: eine scholastische Formel soll über einen Widerspruch hinweghelfen.*

[2]) Stob. *ecl.* II 2, 5 (vol. II p. 18 sq. W.).

[3]) Librum XXVIII enim affert Damascius *Περὶ πρώτων ἀρχῶν* cap. 43 (vol. I p. 86, 5 sq. ed. Ruelle Paris. 1889).

[4]) De his Iulianis agit Kroll *De orac. Chald.* p. 71 sq.; sed videas Gruppe *Hdb.* V 2 p. 1482 adn. 4.

[5]) cf. Mau *Die Religionsphilosophie Kaiser Julians* (1907) p. 76 sq.

teret, qui et deorum cultum restituerent et oracula, quae suis temporibus paene obmutuisse ipse ingenue concedit,[1]) ubique restaurarent.[2]).

Quid vero de Apolline eiusque responsis iudicatur in libris Iuliani? Ne dicam quod nonnulla oracula legentibus ibi occurrunt,[3]) imperator non gravatur ad Delphicum deum, communem Graecorum ducem legumque latorem ac regem quem existimat illis omnium bonorum auctorem exstitisse, philosophiam revocare[4]) et Diogenis causam sic dicere, ut gravissime affirmet illum ab Apolline praeconem novae doctrinae electum esse.[5]) Ratus igitur Diogeni ut Apollinis studiosissimo famulo et administro[6]) veritatem dei non fuisse dubiam Iulianus eandem sequitur sententiam interrogans *orat.* VII 211 d (p. 274, 13 sqq. H.): *πότερον οὖν οὐχ ὁ Πύθιος ἀληθής τέ ἐστι θεός, καὶ Διογένης τοῦτο ἐπέπειστο σαφῶς*; Itaque non mirabimur imperatorem oraculorum quasi patronum nescire, quot diras imprecetur in Oenomaum (*l. l.* p. 210 d).

Iuliani ratio philosophiam in religionem initiis fucatam transfigurantis summum incrementum cepit in illo *De mysteriis Aegyptiorum* opusculo perperam ad Iamblichum relato, cuius auctor sibi proposuit dubitationes in Porphyriana ad Anebonem

---

[1]) *contr. Christ.* I p. 197, 4 sqq. (ed. Neumann 1880 = Cyrill. *contr. Iul.* VI 198 c): *φαίνεται δὲ καὶ τὰ αὐτοφυῆ χρηστήρια ⟨σιγῆσαι⟩ ταῖς τῶν χρόνων εἴκοντα περιόδοις.*

[2]) Iuliani instaurationem oraculorum diligenter descripsit Wolff *l. l.* p. 44 sqq. Praeteriri possunt quae Allard *Julien l'Apostat* II 2 (Paris. 1903) p. 160 sqq. disputavit.

[3]) Semel atque iterum Iulianus laudat Apollinis effata: *γνῶθι σεαυτὸν* (*orat.* VI p. 183 a, 185 a, 188 a) et *παραχάραξον τὸ νόμισμα* (*ibid.* p. 188 a). Oracula e. g. exstant vel significantur: *orat.* VIII p. 250 c, *Caes.* p. 314 a, *epist.* 62 p. 451 a (= *frg.* p. 297 c d).

[4]) *orat.* VI p. 188 a; cf. *orat.* V p. 159 b (p. 206, 17 sqq. Hertlein): *ἡ γὰρ ἐν πᾶσι τοῖς καλοῖς ἡγεμὼν γενομένη τοῖς Ἕλλησιν, ἡ τοῦ Πυθίου πρόμαντις θεοῦ . . .*

[5]) *orat.* VI p. 191 a b: cf. Asmus *Kaiser Julians philosophische Werke* (1908) p. 48.

[6]) *orat.* VI p. 192 d (p. 249, 22 sq. H.): *Διογένει, κατ' ἐμὲ δὲ τῷ σπουδαιοτάτῳ θεράποντι καὶ ὑπηρέτῃ τοῦ Πυθίου* . . . Vide *ibid.* p. 199 b (p. 257, 25 sq. H.).

epistula libere de vulgari religione motas ad irritum redigere Porphyrius enim cum haesitaverit, deusne vaticiniis subesset (*epist. ad Aneb.* cap. 16) an sua vi animus futura praesagiret (cap. 17), graviter edocetur divinationem falso repeti ab effectibus naturae aut artis extrinsecus accedentis, immo ad numina universam eius auctoritatem referendam esse,[1]) ita ut divinus ille afflatus nec motu animi nec fallaci daemonum inspiratione contineatur (III 7 et 31). Idem in vaticinantium responsa cadit: Porphyrium secutus, qui exempli causa Clarium, Delphicum, Branchidarum oracula commemoraverat (*l. l.* cap. 14), auctor anonymus accuratissime describit singulos eorum apparatus id agens, ut cognoscatur inspirationem vatum caelitus irradiare[2]) deumque uti sacerdote tamquam organo (cap. 11); sane divinandi vim nulli loco aut rei corporeae adstrictam esse (cap. 12). His tenuibus lineis adumbrari possunt quae Iamblichus personatus animis legentium identidem inculcat affirmans divinationem non proficisci ab hominibus.

Hierocles, quem constat Neoplatonicis addictum illa Pseudopythagorea *Χρυσᾶ Ἔπη* copioso illustrasse commentario,[3]) confisus (*l. l.* p. 32 M.) ab eo, qui animum reddat simulacrum numinis praeparata delubri instar ad divinum lumen suscipiendum mente, deum optime honorari sententiam hoc oraculo Pythico confirmare studet: *εὐσεβέσιν δὲ βροτοῖς γάνυμαι τόσον, ὅσσον Ὀλύμπῳ.*[4]) Atque ut eluceat pia mente Apollinem magis delectari quam sumptuosis victimis, Hierocles (*ibid.* p. 32 sq. M.) Theophrasteam de illo Hermioneo narratiunculam, quam e Porphyrio (cf. supra p. 95) delibavit, inepte imitatus[5]) ita depravat, ut tribuat diviti ne minimam quidem, omnem pietatem pauperi

[1]) *de myst. Aeg.* (ed. Parthey Berol. 1857) III 1: cf. X 3. Quae v. Harless *Das Buch von den ägyptischen Mysterien* (Monaci 1858) de illa operis parte p. 62 sqq. exposuit, nullius sunt pretii.

[2]) III 11 (p. 125, 7 sqq. P.): *ἄλλη δ' ἐστὶν ἡ τοῦ θεοῦ παρουσία καὶ . . . ἄνωθεν ἐναστράπτουσα . . . πάρεστι δ' εὐθὺς καὶ χρῆται ὡς ὀργάνῳ τῷ προφήτῃ.*

[3]) ed. Mullach Berol. 1853.

[4]) Eundem versum citat Iulianus *fragm.* p. 300 a (p. 384, 18 sq. H.).

[5]) cf. Bernaysii adnotationes *Theophrastos' Schrift über Frömmigkeit* p. 75.

Quoniam nonnulli dubia quaedam oracula afferentes audacius confidant probare se posse ne deis quidem adesse definitam rerum ancipitium cognitionem, Ammonius[1]) profitetur se illos refutaturum esse verbis Syriani. Qui primum vult aliam esse deorum intellegentiam, aliam fatidicae operationem illius quidem a deo motae, sed rationem partibilem et numeros et notitiam ambiguam in se parientis: *οὐ γὰρ δὴ τὸ ἐλλαμπόμενον τοιοῦτόν ἐστιν οἷον τὸ ἐλλάμπον.* Nonne vides Syrianum hic obscuritatem oraculorum simillime defensare ac Plutarcheum Theonem, quippe qui censeat[2]) Pythiam quasi instrumentum Apollinis quidem potestate moveri, sed quia divinus impetus cum humanis affectionibus coalescat, duobus his motibus effici animae mixturam quandam non prorsus divinam? Deinde persuasum est Syriano (*l. l.* p. 137, 20 sqq. B.) etiam commodi audientium causa interdum edi dubia oracula, quae intellegentiam nostram exerceant: nam deos uti nobis, ut qui moveamur a nobis ipsis, et ad eum modum res nostras gubernare atque omnia pro dignitate nobis distribuere. — Idem vero Syrianus in enarrandis Chaldaeorum oraculis versatus est; composuit enim Suida testante *Συμφωνίαν Ὀρφέως Πυθαγόρου καὶ Πλάτωνος πρὸς*[3]) *τὰ λόγια,* quod opus significare videtur Proclus.[4])

Chaldaeorum oracula Proclum, Syriani pedisequum, tanti aestimasse, ut diceret: *κύριος εἰ ἦν, μόνα ἂν τῶν ἀρχαίων ἁπάντων βιβλίων ἐποίουν φέρεσθαι τὰ Λόγια καὶ τὸν Τίμαιον* memoriae prodidit Marinus.[5]) Et commentatum quidem se illa responsa esse philosophus ipse fatetur,[6]) ut veri sit simile, quae eodem loco de oraculis singillatim disputantur, imprimis ad Chaldaica

---

[1]) *in libr. de interpret.* cap. 9 (Comment. in Aristot. Gr. IV 5 p. 137, 12 sqq. Busse); cf. Zeller III 2⁴ p. 830 adn. 6.

[2]) *de Pyth. orac.* cap. 21 p. 404 b sqq. (cf. supra p. 66 sq.).

[3]) Sic scripsit Krollius *De orac. Chald.* p. 7 pro *περί,* ut corruant omnes difficultates quas detexit Albertus Jahn *Eclogae e Proclo de philos. Chald.* (1891) praef. p. VIII.

[4]) *in Plat. theol.* IV 16 (p. 215, 41 sq. ed. Aemilius Portus Hamburgi 1618): *ἐν τοῖς τῆς συμφωνίας γράμμασι.*

[5]) *vit. Procl.* cap. 38; conferas quae idem *l. l.* cap. 26 de Proclianis studiis in illa oracula collatis dicit.

[6]) *in Plat. Rempubl. comment.* vol. I p. 40, 21 sq. (ed. Kroll 1899).

effata spectare. Rogaturos enim (*l. l.* I 37, 16 sqq. Kr.): *πῶς χρησμοὶ δίδονται ψευδεῖς τῶν χρώντων μὴ ψευδομένων, ὧν τὰ χρηστήρια μεστὰ πάντα· καὶ πῶς οὐχὶ τοῦ ἀγαθοῦ πρὸ τῆς ἀληθείας ὄντος* (i. e. quamquam bonum non est praeferendum vero) *διὰ τὸ ἀγαθὸν οἱ θεοὶ καὶ ψεύσονταί ποτε καὶ ἀπατήσουσι τοὺς ἀναξίους τῆς ἀληθείας αὐτόθεν τυχεῖν*, Proclus (*l. l.* I 40, 5 sqq.) fortasse Syrianum sequens[1]) edocet fallaciam sortium non deis qui vaticinia fundant tribuendam esse, immo hominibus oracula consulentibus, quippe qui propter suam inscitiam atque infirmitatem responsa non recte intellegant. Et tota de oraculis dissertatiuncula concluditur his verbis (*ibid.* p. 40, 26 sqq.): *καὶ γὰρ παρὰ τὰς ἐρωτήσεις οὐκ ὀρθῶς γενομένας, μὴ ὅτι γε παρὰ τὰς ἄλλας τὰς κυριωτέρας αἰτίας δυνατὸν τοῦτο* (sc. *παρυφίστασθαι τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς χρηστηρίοις*) *συμβαίνειν, κάτωθεν τῶν αἰτίων ὄντων, αὐτῶν δὲ τῶν θεῶν ἄνωθεν τὴν ἀλήθειαν ἀεὶ προτεινόντων τοῖς δυναμένοις αὐτῆς τυγχάνειν.* Eandem vero interpretationem deprehendimus etiam in primo illorum trium quos Guilelmus de Morbeka, Corinthi archiepiscopus († 1280), versionibus tantum latinis servavit libellorum,[2]) cui titulus est *de decem dubitationibus circa providentiam.* Ubi philosophus de oraculorum defectu ita disserit (col. 101 sq. C.), ut operatione divina semper eadem permanente loca vel homines inidonei sint ad eam participandam,[3]) velut si facie aliqua sibi constante speculum imaginem eius modo

---

[1]) Zeller *l. l.* p. 884 adn. 4.

[2]) *Opera inedita* publicavit Cousin (Paris.[2] 1864).

[3]) col. 101, 32 sqq.: *Sive igitur dicat quis χρηστήρια quandoque quidem divinativis participare diis, quandoque autem deficere inefficacia facta et velut ἄπνοα [id est, sine spiritu] secundum quoddam tempus, in hoc reducendum causas irregularitatis indeficientibus spiritibus utentibus et operantibus in potentia participare ipsis semper: nam veracia χρηστήρια praeapparentibus complent angelique et daemones et heroes, in quos illustrant dii et semper entes in universo sortes, quamvis aquae aliquae et hiatus terrae non semper participare illis possint propter sui ipsorum instabilem naturam. Sive rituum virtutes ἀγάλματα [id est, imagines] introeuntes quandoque et viventia facientes et replentes divina inspiratione deficiunt in quibusdam periodis, et horum defectum, existimo, remittere convenit ad suscipientia, et non ad variationem operationis deorum inspirantium ipsa . . .*

fulgidum suscipiat, modo obscurius vel debilem reddat vel omnino nullam.

Wolffius[1]) censuit Proclum in scriptis suis numquam deorum Graecorum responsa, saepissime Chaldaica oracula affere. Verum ut loci adhuc in quaestionem vocati ad orientalia potissimum effata pertineant, tamen opinor philosophus alibi Graeca oracula si non verbotenus citat, at certe respicit. Nam in illo *de providentia et fato et eo quod in nobis* opusculo, quod Stoicam rationem quodammodo resipere Gerckius[2]) vidit, Proclus exponit (col. 175 sqq. C.) divinationem libertati humanae adeo non obstare, ut sublata libertate ipsa quoque tollatur, cum in iis quae necessario fiant sit supervacua et coactis de rebus responsa dare Apollinem dedeceat (col. 176, 36). Age certiora proferamus indicia. Dubitationi rogantium, cur poenae non statim peccata subsequantur, sed infligantur demum interiecto tempore, philosophus mederi studet cum aliis tum Themistoclis exemplo (*de dec. dub. circ. provid.* col. 134, 18 sqq.): *Si enim Themistocles pro iis quae egerat iuvenis ens confestim solvisset vindictam, quis utique eruisset civitatem a Persicis malis? Quis etiam fuisset Πυθίας [id est, responsi] expositor?*

Ut igitur paucis comprehendamus quae nacti sumus de Proclo: et in enarrandis Chaldaeorum effatis et in perscrutando, quemadmodum oracula cum libero arbitrio conciliari possint, philosophus semitis maiorum pedibus iam detritis insistere non dubitavit.

Vestigia priorum manifesto pressit etiam Ammonius, Hermiae filius, qui a Proclo profectus est. Si dei, inquit ille,[3]) res fortuitas determinate (ὡρισμένως) noverunt — nam secus cognitionem eorum statueremus indefinitam — et sciunt lignea sola moenia Athenas ab imminentibus barbaris servatura et divinam Salaminem necaturam esse filios mulierum et Croesum Halyn flumen transgressum magnam dominationem eversurum et Laium, si liberos genuerit, universam domum suam funditus

---

[1]) *Porph. de philos. ex orac. haur.* p. 67.

[2]) Mus. Rhen. XLI (1886) p. 280 adn. 1.

[3]) *in libr. de interpret.* cap. 9 (p. 135, 1 sqq. B.).

deleturum esse, apparet fieri non posse, quin haec eveniant, sin minus illos necessario mentiri. Quomodo autem Ammonius opera Iamblichi hunc nodum expedire conatus sit, supersedeo nunc repetere; verum quod videtur summi momenti esse, etiam ibi proferuntur usitatissima quaeque argumenta. Perperam ergo quaeritur,[1]) unde Ammonius singula exempla hauserit: nempe habemus locos communes.

Epicteti sententias commentario instruxit Simplicius, unus e summis Neoplatonicis. Ut ille vetuerat Apollinem consuli de iis rebus, quae mens per se cognoscere posset (cf. supra p. 57), ita hic sibi persuasit[2]) vates adeundos non esse de rebus potestati nostrae subiectis, velut mortalisne sit anima an immortalis. Nam subtiliorem parari cognitionem, si ex ipsis rerum causis argumenta hauserimus; sin autem deus nobis dixerit immortalem esse animam, fidem quidem firmissimam nasci, non item rei scientiam. Ut vero gravior auctoritas addatur verbis Epicteti suadentis periculum pro patria aut amico suscipiendum sit, philosophus narrat[3]) Apollinem iis, qui interrogassent utrum supplicem dederent necne, vehementer suscensuisse. Atque in calce illius disputationis Simplicius non modo id effatum, quod Epictetus significaverat (*Man.* cap. 32 extr.), verbotenus affert, sed huic responso alterum quoque oraculum e thesauro suo adiungit.[4])

Agmen claudatur Aenea Gazaeo, Hieroclis illius Neoplatonici auditore Christiano. Huius dialogum qui *Theophrastus* inscribitur[5]) nihil aliud esse nisi promptuarium collectis undique sententiis veteribus refertum produnt et alia[6]) et oracula ibi prolata. Universi enim genitori Euxitheus, cui auctor personam Christianam imposuit, Apollinem se numeros omnis arenae scire

---

[1]) Quod facit Busse in apparatu quem vocant critico *l. l.* p. 135, 5.

[2]) *Comment. in Epict. enchir.* p. 110, 26 sqq. (ed. Dübner 1840).

[3]) *l. l.* p. 111, 1 sqq. (cf. Herod. I 158 sq.).

[4]) *ibid.* p. 111, 17 sq. et 33 sq. (cf. Hendess n. 186). — Adde quod Simplicius tritissimi de Socrate oraculi mentionem facit: p. 131, 8 sq.

[5]) ed. Boissonade Paris. 1836.

[6]) Quibus e fontibus hauserit Aeneas, explicat Sikorski *De Aenea Gazaeo* Bresl. philol. Abh. IX 5 (1909) p. 1—41.

(Herod. I 47) confisum obicit.[1]) Aeneae autem propositum est etiam corporum resurrectionem demonstrare: itaque non modo Hebraeorum vaticinia, quae ipsa quoque nonnullis Apollineis oraculis commendata pollicentur homines vitae integros redditum iri, Euxitheus leviter perstringit (p. 73), verum ut manifestum fiat corpora sepulcris condita plus posse quam in priore statu, idem Theophrastum revocat (p. 67 sq.) ad duo oracula, quibus Atheniensibus et Lacedaemoniis praedictum erat, nisi Thesei et Orestis ossa in patriam transtulissent, finem malorum non fore.[2]) Ut vero his locis patronum fidei Christianae non paenitet ad sua stabilienda effatis uti gentilibus,[3]) sic omnino non cunctatur (p. 72) nimiam credulitatem ac stultitiam paganorum illustrare Herodotea (IV 15) de Aristeo narratione,[4]) quae tradit Apollinem a Metapotinis consultum, Aristeone fidem haberent, respondisse si verbis eius obtemperassent saluti id futurum esse.

Descendimus paulatim ad ultimos philosophiae fines.[5])

---

[1]) Apollinis oraculum, quo angeli (*πνεύματα*) ante homines et hominum causa creati dicuntur, ab Aenea (p. 53) servatum mihi aliunde notum non est: cf. Lobeck *Aglaoph.* I p. 456 c.

[2]) Utramque de Theseo et Oreste narrationem tradit Pausanias III 3, 6 sq. (cf. Hendess n. 85); tamen non puto Aeneam e Pausania hausisse.

[3]) Nescio an primum eiusmodi exemplum legas apud I Clement. *ad Corinth.* LV 1 Funck (*Die apostolischen Väter*[2] 1906 p. 62, 19 sqq.): *Ἵνα δὲ καὶ ὑποδείγματα ἐθνῶν ἐνέγκωμεν· πολλοὶ βασιλεῖς καὶ ἡγούμενοι, λοιμικοῦ τινος ἐνστάντος καιροῦ, χρησμοδοτηθέντες παρέδωκαν ἑαυτοὺς εἰς θάνατον, ἵνα ῥύσωνται διὰ τοῦ ἑαυτῶν αἵματος τοὺς πολίτας· πολλοὶ ἐξεχώρησαν ἰδίων πόλεων, ἵνα μὴ στασιάζωσιν ἐπὶ πλεῖον.* De tenore huius loci vide Knopf apud Hennecke *Hdb. z. d. neutest. Apokr.* (1904) p. 188.

[4]) Eandem narrationem a Celso defensam iam Origenes *contr. Cels.* III 27 sqq. verbose refutaverat.

[5]) In adnotatione hic sequantur, etsi ad nostram quaestionem illustrandam non multum valent, extrema verba illus qui *Hermippus de astrologia* inscribitur libelli (ed. Kroll et Viereck 1895 p. 71, 6 sqq.): *ὥστε ἐρρώσθων μὲν ὁ τρίπους καὶ ἡ Πυθία, ὄντες ποτὲ ἴσως καὶ μὴ ὄντες τῶν μελλόντων ἐξηγηταί, σιγάσθω δὲ καὶ τὰ Τροφωνίου ἄδυτα . . .*

Apud Byzantinos litterae Graecorum velut veterno consopitae diu iacebant, non item singula divinandi genera: immo Byzantini statuarum signis, lapidum inscriptionibus, Sibyllae carminibus, libris oraculorum [1]) res futuras posse cognosci paene usque ad Turcarum triumphum putabant. Et quamquam re nobis proposita impedimur, quominus perquiramus illas superstitiones, tamen haud ab re duco nonnullis exemplis ostendere, quousque Byzantini Graeculi oracula et argumenta antiquitus accepta repetiverint.

Ut omittam tum [2]) increbruisse hyperbolam, qua usi iam veteres [3]) dicebant sermones suasione aut veritate imbutos esse oracula, esse responsa Delphis veluti fusa ac similia, primum Eliae commentaria strictim perlustrabimus. Id agens, ut doceat Apollinem ambagibus oraculorum studere, Elias [4]) illud de Croeso Halyn transgresso responsum affert, quod sic interpretatur: *ἄδηλον γὰρ ἢ τὴν ἰδίαν ἢ τὴν τῶν ὑπεναντίων* ⟨sc. *ἀρχὴν καταλύσει*⟩· *διὸ ἀπατηθεὶς ἐπεστράτευσε καὶ κατόπιν ἔπραξε.* Deinde alter sequitur locus communis; Atheniensibus enim commentator dicit editum esse hoc oraculum: *τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς· ἐδήλου γὰρ ὡς διὰ τριήρων δεῖ αὐτοὺς ναυμαχῆσαι· τοῦτο ἐδήλου τὸ ξύλινον τεῖχος. τοῦτο δὲ ὑπέλαβε Θεμιστοκλῆς ὡς δεινότατος ξυνιέναι. καὶ τοῖς Σαλαμινίοις ἐδόθη χρησμὸς λέγων ὦ θεία Σαλαμίς, ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν· ἄδηλον δὲ ποίων γυναικῶν, τῶν ἰδίων ἢ τῶν ὑπεναντίων.* Ut autem hic vetusta exempla recoquuntur, ita alibi [5]) Elias notissimum de Lycurgo effatum in suam rem convertit; expositurus est finem philosophiae eo contineri, quod homo per cognitionem omnium rerum deo quam

---

[1]) De his conferas Krumbacher *Gesch. d. byzant. Litt.*[2] 1897 p. 627 sqq.

[2]) Locos congessit Boissonade *Pachymeris declamationes XIII. Hieroclis et Philagrii grammat. Φιλόγελως* (Paris. 1848) p. 10 adn. 1.

[3]) Nonnulla huiusmodi testimonia praebet Boissonade in editione Aeneae Gazaei p. 177 adn. 79.

[4]) *in Aristot. Categ.* prooem. (Comment. in Aristot. Gr. XVIII 1 p. 126, 15 sqq. Busse).

[5]) *Proleg. philos.* cap. 4 (ibid. p. 7, 1 sqq.).

simillimus fiat et talis *οἷον τὸν Λυκοῦργον ἡ Πυθία προσεῖπεν·* sequuntur duo versus tritissimi. His laudatis Elias pergit: *καὶ μὴ νομίσῃς, ἐπειδὴ εἶπε ʽδίζω᾽, ὅτι ἠγνόει . . (ἦ γὰρ ἂν ἡ Πυθία ἑτέρας*[1]) *ἐδεῖτο Πυθίας), ἀλλ᾽ ἐπειδὴ φύσει ἀμφίβολον ἦν εἰ θεὸς ὁ Λυκοῦργος ἢ ἄνθρωπος . . . ἡ Πυθία εἰ εἶπεν αὐτὸν θεόν, ἐψεύδετο, ἄνθρωπον ὄντα, καὶ εἰ ἄνθρωπον εἶπεν αὐτόν, ὁποῖοί εἰσιν οἱ πολλοὶ τῶν ἀγελαίων, ἐψεύδετο (οὐ γὰρ ἦν τοιοῦτος), ἀλλὰ ἔνθεον ἄνθρωπον αὐτὸν εἶπεν.* — Arta cognatio, quae inter Eliae ac D a v i d i s commentaria intercedit, non solum ex eisdem argumentis, verum ex eadem quoque ratione interpretandi elucet. Hoc et aliis comprobatur et eis quae David[2]) de sorte Lycurgo edita disserit: *καὶ γὰρ ὁ φιλόσοφος ὅμοιός ἐστι τῷ θεῷ, ὡς δηλοῖ καὶ ἡ Πυθία λέγουσα περὶ Λυκούργου νομοθέτου τε ὄντος καὶ φιλοσόφου (οἱ γὰρ πάλαι φιλόσοφοι καὶ νομοθέται ἦσαν).* Tum versus ab Elia citatos, quibus ipse tertium adiecit, David ita enarrat: *διστάζει δὲ οὐχ ὡς ἀγνοοῦσα τί αὐτὸν καλέσῃ καὶ δεομένη εἰς τοῦτο ἄλλης Πυθίας, ἀλλ᾽ ἵνα δείξῃ ἀμφήριστον τὴν τοῦ φύσιν καὶ τὴν τοῦ ἀνδρός, ὅθεν ἐπιφέρει ʽἀλλ᾽ ἔμπης σε θεὸν μαντεύσομαι᾽.*

Videmus ergo Eliam et Davidem nihil fere de suis ingeniis in medium protulisse, sed satis habuisse vetustiorum argumenta identidem explanare ac dilatare. Huc quadrant etiam illius qui *Philopatris*[3]) inscribitur dialogi verba cap. 5: ΚΡΙΤ. *Μῶν τὸν Ἀπόλλωνά γ᾽ ἐπομοσόμεθα, ὃς προφήτης ἄριστος καὶ ἰητρός, ὦ ᾽γαθέ; ΤΡΙΕΦ. Τὸν ψευδόμαντιν λέγεις, τὸν Κροῖσον πρῴην διολωλοκότα καὶ μετ᾽ αὐτὸν Σαλαμινίους καὶ ἑτέρους μυρίους, ἀμφίλοξα πᾶσι μαντευόμενον;*

Quoniam igitur hic quoque decantata exempla enitescunt, diligentiori Byzantinarum quisquiliarum indagationi non immorati tandem ad calcem veniamus luculentissimo saltem instrumento persuadendi addito. N i c e p h o r u s G r e g o r a s enim, aequalium

---

1) Habes communem locum: cf. supra p. 77 adn. 4.

2) *Proleg. philos.* cap. 6 (Comment. in Aristot. Gr. XVIII 2 p. 16, 25 sqq. Busse).

3) Diu haesitaverunt docti, quibus temporibus hic dialogus in lucem prodisset; eum aestate anni 969 p. Chr. n. compositum esse tandem probabile reddidit E. Rohde *Byz. Ztschr.* V (1896) p. 1—15, cui adstipulatur Krumbacher *Gesch. d. byz. Litt.*² p. 460.

facile doctissimus (1295—1359?), quinto libro *Histor. Byzant.*[1]) copiosum de sortibus embolium inculcavit. Ab origine atque inventione oraculorum orsus Gregoras exponit, quis illa composuerit et posteris tradiderit, a nullo memoriae prodi. Esse tamen qui existiment spiritus quosdam famulantes et administrantes (*δυνάμεις τινὰς ὑπηρετικὰς καὶ λειτουργικάς*), alios bonos alios velut instrumenta ulciscendi maleficos, inspicere quae hic gerantur et aerem terramque peragrare, postquam futurorum scientiam caelitus acceperint ac praeterea facultatem eius cum hominibus communicandae partim per insomnia, partim per astra, partim per Delphicum quempiam tripodem, partim per exta hostiarum, partim per divinam vocem (*ὄσσαν*); saepe etiam in saxis aut parietibus nullo ibidem auctore indicato litteras esse repertas. Hinc rerum scriptor eo transit, quomodo fiat ut oracula, cum necessariam futurorum significationem complectantur, intricatis verborum ambagibus eam inumbrent. Hanc obscuritatem defendit, Gregoras affirmans res omnibus notas facile fastidiri et neglegi quasi inutiles. Tamen homines non frustra sortibus uti, si necessaria animi attentione eas expendant. Quodsi oracula fallere videantur (etenim ut Croesi exemplum[2]) ostendat omnia quae significentur aliis molesta esse, aliis iucunda), id prorsus non responsorum natura fieri, sed praepropera potius cupiditate hominum, qui sensum oraculorum ad optata sua detorqueant. Talem argumentationem non magis quam illam daemonologiam a Byzantino scriptore inventam esse quis est quem fugiat? Terminatur autem totum embolium hac adhortatione: videndum,

---

[1]) V 7, 4 sqq. (vol. I p. 150 sqq. ed. Schopen Bonn. 1829).

[2]) Idem exemplum deprehendas in ea oratione, qua Gregoras Theodorum Metochitam sinistris auguriis perterritum admonuit ne animo caderet (*l. l.* VIII 5, 8 p. 310, 6 sqq. Sch.): *αἱ γὰρ προαναφωνήσεις τῶν μελλόντων, ὅσαι δι᾽ ὀνειράτων καὶ ὅσαι διὰ μυρίων ἄλλων, ὥς ἴσμεν, γίνονται τρόπων, πολὺν ἐπισυρόμεναι γνόφον καὶ κύκλῳ αὐτῶν ὥσπερ σκηνὴν τιθέμεναι τὴν ἀποκρυφὴν αὐτῶν, πολλοὺς τοῦ καθήκοντος ἐξεμόχλευσαν καὶ πρὸς τὰς τῆς ἀληθείας ἐναντίας ἐννοίας βαδίζειν παρέπεισαν· καὶ οἱ μὲν τοῦ τέλους εὐτυχοῦς παρ᾽ ἐλπίδα πεπείρανται· οἱ δὲ τοὐναντίον . . . Κροῖσος ὁ Λυδὸς ἤλπισε τὸν Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσειν τοῦ Κύρου· ὁ δὲ καὶ τὴν οἰκείαν ἀπέβαλε.*

ne quis homines sortibus usos ludificetur neve versiculos novos oraculorum instar confictos in vulgus clam spargat, ut eiusmodi mendaciis etiam illorum veritas confundatur. Unde, si Gregoras non expressis verbis dixisset, concludendum esset illa aetate multos oracula commentos esse.

Sed subsistamus hic tandem et summam dissertationis nostrae breviter complectamur. Oracula etsi priores Graecorum philosophi non neglexerant, tamen veteres demum Stoici collegerunt atque in disciplinam suam receperunt. Ab illis vero temporibus perspicue discerni possunt duae factiones philosophorum: alteri Stoicos secuti oracula defendunt, alteri vehementer impugnant. Sed monearis etiam in istis disputationibus semper eadem argumenta aut confirmari aut refelli, ita ut identidem decantata repetantur exempla, quae ostendimus ne tum quidem, cum Porphyrius novam oraculorum doctrinam ab oriente arcessivit, destitisse incredibilem in modum pullulare.

Index nominum.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Ludovicus Fridericus Jaeger XXI die mensis Febr. a. LXXXVI superioris saeculi Monaci patre Georgio, Sophia e gente Volk matre quam superstitem esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Per sex annos progymnasii Oettingensis, per tres annos gymnasii Augustae Vindelicorum evangelici discipulus fui.

Aestate a. 1905 maturitatis testimonium adeptus inter cives universitatis patriae receptus sum atque tria per semestria hic moratus Rostochium migravi. Unde sex mensibus post rursus ad Monacensem almam studiorum matrem reversus vere a. 1908 denuo Rostochium me contuli ibique per tria semestria adii scholas.

Docuerunt me viri doctissimi Monacenses: Crusius, Furtwängler †, von der Leyen, Lipps, Rehm, Traube †, Vollmer; Rostochienses: Erhardt, Geffcken, Golther, Plasberg, Sommer, Watzinger. Seminarii philologorum Monacensis per sex menses, Rostochiensis per tria semestria sodalis, per unum senior fui. Cum omnibus his viris optime de me meritis gratias ago quam maximas tum Ioanni Geffcken, qui paterno quodam amore semper studiis meis favit.